PA 3825
.S4 M8
Copy 1

DE

AESCHYLI SEPTEM CONTRA THEBAS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

CAROLUS GUIL. MÜLLER,

CLAUSTHALIENSIS.

Carl Müller of Clausthal

GOTTINGAE,

EX OFFICINA HENRICI CAROLI SEEMANN.

MDCCCXXXVI.

PA3825
.S4M8

FORBES LIBRARY
NORTHAMPTON
MASS.

Gift
Yale U.
JAN 26 1910

AMICIS CARISSIMIS,

SOCIETATIS PHILOLOGICAE
GOTTINGENSIS SODALIBUS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

LECTORI.

Noli mirari, quid sit, cur studiorum meorum tirocinia in poeta posuerim, in quo sive emendando, sive illustrando vel ii, qui viri sunt in antiquis literis, nedum juvenis, vires suas frustra periclitari soleant. Cujus quidem conaminis temeritatem totius nostrae aetatis indole possit aliquis excusare. Quod enim tempus in Aeschylum pristino nitori suo restituendum tam acre tamque flagrans contulit studium, quantam nostri aevi homines eruditi, aut vitiorum foeditatem abstergentes, aut declarantes singularum fabularum argumenta, aut ad chronologicum eas ordinem revocantes, doctrinae copiam, ingeniique sagacitatem adhibuerunt, ut ad communem poetae tragoedias lectorum accommodarent intelligentiam? Quid mirum igitur, si grassante hoc Aeschyli studio, infantiae meae et ingenii tenuitatis plane oblitus, oestro quasi incaluissem ad ea tractanda, quae consultius reliquissem intacta? Nec ea tamen sum animi levitate, ut tali excusatione, quae arrogantiae suspicionem non possit amoliri, me purgatum velim. Sed, quum

JUN 3 1899 - 1 8 2

in Georgia Augusta versabar, C. Odofr. Mueller, praeceptor clarissimus, quem quanta colam pietate verbis apte exprimi non potest, Aeschylum proposuit sodalibus societatis philologicae, non tam ut quibus laborat difficultates dissolverent, et quae operta in eo sunt aperirent, quam ut grande potius et sublime Aeschyli ingenium, ut poeticas ejus et civiles virtutes adamare discerent et diligere. Nil profecto in vita academica hoc sodalitio mihi contigit vel ad fructum uberius, vel ad suavitatem jucundius. Itaque, oblata hac scribendi opportunitate, ex Aeschyli fabulis dicendi materiam petivi, non quod me iis, quae parvo hoc libello complexus sum, impositi vim muneris et amplitudinem exaequaturum sperabam, sed quod sermonum de Aeschylo inter nos institutorum memoriam recolens amplam mihi nactus videbar occasionem, ut quam cara mihi esset illius sodalitii necessitudo publice declararem, ut recordationem ejus, quam cum pristino amore semper conservabo, amicorum animis altius infigerem. Hujus animi testem hunc libellum esse volui; hac sola excusatione utor, si majus opus instituisse videar, quam perfici potuerit.

I.

De tempore quo Septem contra Thebas fabula scripta sit et edita.

1.

Satis de eo convenit inter omnes, nil et majorem in explicandis Graeciae Latiique monumentis afferre utilitatem, et clariore tenebras circumfundere luce, quam temporis, quo unumquodque editum sit, accuratam habere notitiam. Quod si in universum valet, quo magis hoc auxilio necesse est is adjutus sit, qui operum explicationem aggreditur non solum praestantissimorum, artisque impositorum quasi fastigio, sed quibus etiam cum temporis, quo oriunda sunt, conditione tam arcta necessitudo intercedit, ut, nisi hanc perspexeris, aut intelligi plane nequeant, aut multorum certe locorum vis et venustas mentem fugiat vel sagacissimam. Nemo non videt Aeschyli me dicere fabulas. Jam vero, nescio qua singulari fortunae iniquitate, accidit, ut Aeschyli vitae et fabularum chronologia tam perplexa sit, tantaque conturbatione laboret, ut is, qui singula, quae exstant, veterum testimonia inter se conciliare, atque

ad certam et indubitatam fidem et auctoritatem revocare velit, nec non ad Olympiadum annos omnia expendere, negotium adeat multis obseptum difficultatibus taediique plenum. Nec id mirum: vitae enim auctor, ut in hoc consistam, tantum abest ut secundum ordinem rerum et nexum libellum suum composuerit, ut centonem narratiunculis hinc illinc repetitis consarcinatum, turbulentamque rerum inter se pugnantium praebeat farraginem. Sed quum vitam istam emendare, et quibus squalet vitiis perpurgare neque consilium sit, neque hoc ut munus in humeros nostros suscipiamns virium sinat imbecillitas, relicto illo biographo, ad id quod nobis est propositum, propius jam accedamus.

Temporis, quo Septem contra Thebas fabula commissa sit, neque vitae scriptor mentionem injecit, nec aliud, in quo possemus acquiescere, antiquitatis de hac re testimonium ad nos pervenit. Ne tamen post tantum literarum naufragium omni adminiculo destituti misere circumferamur, scholium ad Aristophanem [1])

---

1) Ran. 1053. *οἱ Πέρσαι πρότερον δεδιδαγμένοι εἰσιν, εἶτα οἱ Ἕπτα ἐπὶ Θήβας· νῦν δὲ τὸ ὕστερον πρότερον εἶπε.* Nam Persae fab. apud comicum antecedit, subsequitur Septem c. Th. Sed illud ipsum, quod scholiasta disertis poetae verbis contradicere audet, subsidiis eum usum esse, quibus sit optima fides habenda, satis ostendit; id, quod ex altero loco ejusdem schol. clarius elucet; ad vers. enim 1058 habet haecce: *τοὺς Πέρσας) Αἰσχύλου δρᾶμα οὕτω καλούμενον· τὸ δὲ εἶτα καὶ τὸ μετὰ τοῦτο οὐ θέλουσιν ἀκούειν εἰς τὰς διδασκαλίας.*

felici quodam casu nobis est servatum. Eo docemur Persas, quae fabula, ut scholiastae argumentum testatur, Menone archonte Ol. 76, 4 edita est, ante Septem contra Thebas in scenam productam esse. Sed ab altera etiam parte ponuntur termini, quos egredi non licet. Ex iis enim quae Plutarchus [1]) tradit satis luculenter, ut puto, apparet, actam esse fabulam vivente adhuc Aristide, quippe ad quem, tamquam ἄριστον ἄνδρα, ut Herodoti verba mea faciam, καὶ δικαιότατον, Amphiarai mores poeta retulerit. Cui rei nollem fidem denegasset Boeckhius [2]), V. Cl., qui „non multum", ait, „tribuo huic famae, qui sciam simillimum quiddam de Palamede Euripidis narrari post Socratis supplicium edita, sed valde illud dubium." Hoc igitur teneamus, nostrae fabulae commissionem in illud tempus cadere, quod est inter Persarum editionem et mortem Aristidis interjectum. Aristides vero quonam anno fato defunctus est? Quaestio difficillima, nec satis, ut videtur, profligata. Quae a viris eruditis aevi recentioris in hanc rem sunt disputata afferre omnia, accuratiusque excutere multi temporis foret negotium, nec limites circumscripti hujus libelli talem in disserendo admittunt prolixitatem. Ut paucis igitur rem

---

1) Aristid. c. 3; cf. Apophthegm. p. 186. b.; de audiend. poet. p. 32. d. (c. 11): Philopoem. c. 15.

2) Graec. tragoed. princip. p. 56. Eodem animum inclinat Welker, V. Cl., in Ephemeridibus Scholasticis 1832. II. N. 23 propterea haud dubie quod, quae de Aristidis anno fatali sibi persuasit, cum fabulae commissionis tempore non congruunt.

absolvam, plurimi [1]), quot equidem consului, Aristidem vita decessisse contendunt Olympiadis septuagesimae octavae anno secundo, eodem quo Hiero, Syracusarum tyrannus, diem obiit supremum. Aeschylus autem quum Ol. 77, 4 a Sophocle victus in Siciliam se conferret, unde post mortem demum Hieronis rediisse videtur, Septem fabulae scenae commissae fines constituuntur satis angusti (Ol. 76, 4 — 77, 4).

Huic ego sententiae album calculum adjicere nequeo. Cur vero ita sentiam quum tribus verbis ad liquidum aegre perducas, rem paullo altius repetendam esse censeo.

Tota illa, quam protuli, temporum computatio duobus maxime fulcris sustinetur, quorum alterum in testimonio positum est Cornelii Nepotis, qui fere post annum quartum quam Themistocles Athenis esset expulsus, Aristidem e vita decessisse dicit; alterum Clintonis continetur opinione, quam qui temere amplexi sunt, ii Ol. 77, 1 Themistoclem testarum suffragiis e civitate ejectum esse habent persuasissimum. Haec igitur si labefactaveris, totum corruat necesse est.

Sed ut via et ratione agatur, nec disputatio ipsa historia confusior et perturbatior fiat, primum Themistoclis historiam inde ab illo tempore, quo potestas ejus et auctoritas populi invidia optimatiumque studiis

---

1) v. G. Hermann. de choro Eumenid. Opusc. II. p. 147. — Clinton fasti Hellen. p. 38. — Haupt Septem c. Theb. p. 325. — Gruppe Ariadne p. 150. — Welker (Schulzeitung 1832. II. N. 23) Aristidem ne illum quidem annum, quo Persae edita est, attigisse putat.

deminuta est, usque ad fugam ejus ad regem Persarum, quoad consilium nostrum, brevi enarrabo, ita tamen, ut eorum scriptorum, qui, quum falsa et perversa tradant, rectum et placidum narrationis cursum turbare posse videantur, nullam habeam rationem. Post expositam demum Themistoclis historiam illorum testimonia in examen vocabo, et quam falsa sint, et ubi fons lateat erroris demonstrare studebo. —

2.

Postquam Themistoclis prudentia barbarorum classis erat devicta, Piraeus portus ejusdem consilio constitutus, Athenae denique non sine magno hujus viri periculo novo gaudebant murorum praesidio, tanta ille valebat apud Athenienses auctoritate, ut civitatis oculi universae in eum essent intenti. Nimis vero jam pollebat, quam ut diu in hoc dignitatis fastigio perseverare posset, atque illam, quam ad unum fere omnes excellentes viri experti sunt, civium suorum vitaret invidiam. Populo enim eo ipso, quod justo magis inter omnes eminere videbatur, venit in odium; qui quum cerneret penes hunc unum esse omnium summam rerum, atque ex potentia ejus fastidium et insolentem istam superbiam natam putaret, hunc si deprimeret et jus suum tueri ratus est et servare libertatem. Socii vero quo animo eum prosecuti sint, ex severitate, qua pecuniam cogere solebat, licet augurari. Lacedaemoniis autem, quam acer omnium consiliorum, quibus sibi rerum graecarum imperium illi vindicare studebant, discussor exstiterit, nonne tota fere ejus vita unum est

et praeclarum documentum? Apud optimates denique quantopere nutare debuerit ejus existimatio, jam inde facile est intelligere, quod nativae locorum opportunitatis maritimam cognoscens utilitatem, *τὸν Πειραιᾶ*, ut Aristophanis verbis rem eloquar, *τῇ πόλει προσέμαξεν*. Sic fieri non potuit, quin optimum videretur civitatis statum pravis artibus et temeritate sua funditus evertere, omnemque depravare rei publicae disciplinam, ita ut in patriis institutis nil maneret integrum, agrorumque cultus et armorum plane relinqueretur; ut civitas non amplius optimatium consiliis regeretur, sed in populo essent omnia; ut omnes exstinguerentur gradus dignitatis, familiarum vetustatibus ponderaretur nihil. — Aristides igitur, quum Themistocli, perpetua vita ab illo dissentienti, opponendum esse censeret, Cimonem, cui semper favebat, delegit *οἷον ἀντίπαλον πρὸς τὴν Θεμιστοκλέους δεινότητα καὶ τόλμαν* [1]). Hic et propter ingenium et propter animum utrisque, et optimatibus et Lacedaemoniis, gratissimus venit, atque populus, quem liberalitate et beneficiis sibi devinxerat, eum cohortatus est *ἄξια τοῦ Μαραθῶνος διανοεῖσθαι καὶ πράττειν. Ὁρμήσαντα δ' αὐτὸν ἐπὶ τὴν πολιτείαν ἄσμενος ὁ δῆμος ἐδέξατο, καὶ μεστὸς ὢν τοῦ Θεμιστοκλέους ἀνῆγε πρὸς τὰς μεγίστας ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχάς* [2]).

Quum tot tantaeque Themistoclem simultates exercerent, ostracismi tempus vides jamjam appropinquans.

---

1) Plutarch. Cimon. c. 5.

2) Ibid.

Nos autem quaeramus annum, quo res evenerit. — Cimon, si fides est Nepoti [1]), imperatoris munere primum functus est in expeditione illa, qua apud Strymona flumen hostes fugavit et Eïona urbem cinxit obsessione. Quod factum est Ol. 77, 3. Hoc autem tempore Themistoclem Athenis adhuc versatum esse, arguunt, ni fallor, verba Plutarchi, quae ex Cimonis vita modo repetivi. Et si iis, quae Theophrastus [2]) in libro *περὶ βασιλείας* de Themistocle narrat, veri aliquid subest, et Boeckhius [3]), qui Ol. 77, 1 hoc factum esse statuit, calculum recte subduxit, vides quanta duobus adhuc ante annis floruerit ille apud Athenienses gratia et auctoritate.

Deinde Plutarchus [4]) tradit haec: *Μέγα δ' οὖν ὄνομα τοῦ Ἀριστείδου καὶ θαυμαστὸν ἔχοντος ἐπὶ τῇ διατάξει τῶν φόρων, ὁ Θεμιστοκλῆς λέγεται καταγελᾶν, ὡς οὐκ ἀνδρὸς ὄντα τὸν ἔπαινον, ἀλλὰ θυλάκου χρυσοφύλακος.* Quod scomma Athenis dictum esse, neque Argis, neque alio loco veri est simillimum. Tributorum vero constitutio pertinet ad Ol. 77,

---

1) Vita Cimon. c. 2; cf. Thucyd. I, 98. Quae Plutarch. Aristid. c. 23 (*ἐπεὶ - παρελόμενος*) et Cim. c. 6 (*Κίμων - ἔπλευσεν*) tradit, cum iis, quae Cim. 7 leguntur, ita concilianda esse videntur, ut auctorem diversas temporum putationes in errorem duxisse statuamus. v. infra.

2) v. Plutarch. Themist. 25.

3) Boeckh. explicat. Pind. p. 102; vide tamen C. Sintenim ad Plutarch. l. l.

4) Aristid. c. 24.

2 [1]); quid, vix crediderim hoc anno illud negotium absolutum esse, sed etiam sequentem annum, si non totum, partem certe ejus consumsisse [2]). Itaque quum post peractam demum ἀποφορᾶς distributionem laude illa Aristides celebrari potuerit, Themistoclis quoque dicterium huic anno assignaverim. Et quoniam Aristidem in Themistoclis condemnatione aequissimum sese praebuisse dicunt, Athenis eum illo tempore affuisse, nec in insulis rationes curasse stipendiarias necessarium est. Etiam Cimonis praesentiam, quum de inimico suffragia ferrentur, desiderabis. Nonne conjectura ducimur ad suspicandum jam rediisse eum ex Thracia? Cui suspicioni aliunde probabilitas additur, ut eam veterum dicas auctoritate positam esse. Plutarchus [3]) enim Cimonem dicit, quum cantare rogatus caneret οὐκ ἀηδῶς, ἐπαινεῖν τοὺς παρόντας ὡς δεξιώτερον Θεμιστοκλέους, qui, quum esset eadem, ut videtur, occa-

---

1) Hujus rei et aliarum quarundam tempora, de quibus inter viros dd. nondum satis convenit, nullis argumentis additis posui, ne justos terminos libellus egrederetur. Uberius his de rebus loquar alio loco. Hic illud tantum monere liceat, omnem fere perturbatam hujus spatii chronologiam derivandam esse ex isto scriptorum errore, de quo disseremus infra.

2) Aristides enim collega fuit Cimonis in prima ejus στρατηγίᾳ (Plut. Arist. 23; Cimon. c. 6). Quum vero Aristidis res in Thracia gestae nunquam memorentur, suspicari licet fuisse eum in constituendis sociorum tributis occupatum. — v. Dodwell Annal. Thucyd. p. 62. —

3) Cimon. c. 9.

sione cantare rogatus, nec cantum se, respondit, nec citharam callere, id tamen scire magnam divitemque reddere civitatem. Quibus illud manifesto tempus innuitur, quo Athenienses a Themistocle abalienati Cimonem in deliciis habebant. Simul vero laus illa plane nulla fuit, et sale suo verba caruerunt, si Themistocles illo tempore testarum judicio jam fuisset civitate expulsus. Tali autem laude Athenienses Cimonem ornarunt ex Thracia vel adeo ex Scyro insula in patriam reversum. Illud quidem pro certo haberi potest, propterea quod Ion tragicus in ἐπιδημίαις vel in ὑπομνήμασι, unde sua hausisse videtur Plutarchus [1]), Cimonem in eodem convivio narrasse dicit strategema illud, quo Sesti usus est et Byzantii. Itaque sub exitum hujus anni Themistocles ostracismo nondum erat oppressus. Sed etiam alterum non caret veri specie. Longe tamen absum, ut probem rationes Dodwelli [2]), qui quum Ion τῶν σπονδῶν γενομένων Cimonem cantasse tradat, has σπονδάς cum illis, quas post Scyrum a Dolopibus liberatam in theatro Baccho imperator obtulit, conjungendas esse contendit, ideoque Themistoclem censet post Dionysia anni 77, 4 adhuc degisse Athenis. Sed libationes illae sunt ipsius convivii, cui Ion μειράκιον interfuerat, et quod fusius haud dubie descripsit, ita ut primum quae post libationes, deinde, quae ἐν πότῳ, ut ipse Plutarchus dicit, convivae egissent, enarraret.

---

1) Heeren, V. Cl., de fontibus et auctoritate Plutarchi p. 40. cf. Sintenis ad Plut. Periclem p. 81.

2) Dodwell. l. l. p. 67.

Fieri tamen potuit ut Themistocles, quum extrema parte anni Ol. 77, 3 Athenis versaretur, post Dionysia demum sequentis anni poena ista decenni afficeretur. Tempus enim ὀστρακοφορίᾳ constitutum erat secundum Philochorum[1]) in Atthide πρὸ τῆς ἡ πρυτανείας. Sin alios [2]) audimus, qui idem ἐπὶ τῆς ἕκτης πρυτανείας factum esse dicunt, paucis mensibus ante Themistocles patriam relinquens confugit Argos. —

Post mortem denique Pausaniae a Lacedaemoniis, qui patriae ignominiam resarcirent, societatis cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam apud Athenienses suos insimulatus est. Quamvis Pausaniae tempora incertiora sint [3]), tamen, si veterum testimonia curatius

---

1) v. Meier in prooemio lectt. Ind. Halens. sem. hibern. 1835.

2) Lex. rhetor. post Phot. Pors. s. v. κυρία p. 672; Schol. Aristoph. Equit. v. 852.

3) Chronologia Pausaniae haec esse videtur: Ol. 75, 4. Paus. Byzantium expugnat. Plures annos hic commoratus est. (Justin. IX, 1. „Haec urbs condita primo a Pausania, rege Spartanorum, et per septem annos possessa fuit.") v. Dodwell. l. l. p. 61. Sequenti tempore Megabatem sibi adjunxit. Herod. V, 32. cf. Thuc. I, 129. — Ol. 77, 1 per Thraciam proficiscitur. Thuc. I, 130. (Ita statuit C. O. Müller, V. Cl., in scholis de Thucydide traditis, qui ap. Pausan. III, 14, 1. pro M. facili mutatione scribendum putat H.) Revocatus redit Spartam, capitis judicium subit, absolvitur. Thuc. I, 128. — „At ille post non multo sua sponte ad exercitum" (qui Byzantii erat) „rediit" Cornel. Paus. c. 3. — Ol. 77, 3 σύμμαχοι μετὰ Κιμῶνος ἐπολιόρκησαν αὐτόν. Plut. Cimon, Thuc. I, 131. Discessit ad Colonos Troadis; denuo accusatus, iterumque revo-

perscrutemur, mortem ejus non ante Ol. 78, 1 ponendam esse, Dodwellus recte visus est contendere. Nec statim post Pausaniae supplicium Themistoclem capitis damnatum esse, ea, quae de Lacedaemoniorum accusationibus narrantur, et de Themistocle literis se purgaturo affatim docent. Quibus subjungas illud tempus, quod in ipsa fuga Themistocles consumserit. Jam vero quum Naxus insula Ol. 78, 3 ab Atheniensibus obsessa sit[1]), Them. Argis aufugisse videtur Ol. 78, 2,

---

catus egit cum Helotis. — Ol. 77, 4. anno exeunte convenit Themistoclem. Renovat cum rege Persarum commercium; literae traduntur ephoris: — Paus. ipse se prodit Ol. 78, 1. Ita bene quadrant verba Justini (II, 15): „Igitur Xerxes, quum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit; Graeci quoque ducem constituunt Cimonem, — qui Xerxem terrestri navalique bello superatum trepidum recipere se in regnum coegit." Haec autem pugna ad Eurymedontem pugnata est Ol. 78, 3, modo teneas Xerxem obiisse Ol. 78, 4, et Thucydidem accurate progredi via chronologica.

1) Artaxerxes patri successit Ol. 78, 4. Ita Diodorus (XI. 69) et Canon astron. ap. Ptolemaeum. Nil est cur horum auctoritatem impugnemus. Canon enim, si quis alius, certissimus habendus est, nec quae alias Diodoro vitio vertitur in temporum computatione negligentia hoc loco statuenda est. Themist. ad regem pervenit νεωστί βασιλεύοντα. Jam si reputes quamdiu in Asia, priusquam regem convenerit, commoratus sit, Naxi obsessionem vides pertinere ad Ol. 78, 3. Qui vero factum sit, ut Ephorus, Clitarchus, alii Them. ad Xerxem venisse tradant, docet Dodwellus p. 78. „Haec quae videtur duntaxat repugnantia inde orta est, quod Artabani septem menses ab aliis extremo

qui annus est medius inter adventum in Asiam, et mortem Pausaniae.

3.

Bene scio, non defore, qui eorum testimoniorum, quibus verum temporum ordinem restituere tentavi, tam levem et exiguam esse auctoritatem mihi exprobrent, ut haec omnia colligata inter se et in uno conspectu posita ad discutiendam temporum obscuritatem omnino nullum afferre possint adjumentum. Et recte quidem licebit a seriorum scriptorum testimoniis his in rebus tanto discedere confidentius, quanto cautius prospiciendum est, ne testibus aut ignotis plane, aut dubiae auctoritatis, aut ab aliena fide pendentibus nostram fidem adjungamus. Quod quum in alios multos, tum cadit in Plutarchum, qui ex aliis sua omnia corrasit obscuro labore, mala sedulitate. Accedit huc, quod ne ullum quidem inter illustriores novi Graecorum viros, de quo vel antiquiores scriptores tot retulerint fabulas, quot de Themistocle finxerunt mendacia. His annumerandus est v. c. Stesimbrotus, Thasius, Cimonis coaevus et Themistoclis, qui, quum virorum magnorum laudibus obtrectaret potius, quam merita eorum, sicut par erat, laude ornaret, quae fictae in populo circumferebantur narratiunculas avide arripuit, nec pauca leviter tractavit et negligenter. Ut comicum Stesimbrotus egit, sic *τραγῳδίαν τὴν ἱστορίαν* scripsit Phylarchus [1]),

Xerxis anno additi sunt, quum alii eos Xerxis regno annumerarent." Aliam hujus rei causam vide infra.

1) V. Polyb. II, 56, 7 et Sintenis l. l. p. 205.

ad animos lectorum tragico quodam spiritu commovendos et pervertendos semper instructus et paratus. Alii denique, v. c. Andocides, Leagorae filius, in epistola aut oratione illa πρὸς τοὺς ἑταίρους[1]), aliis suis usibus Themistoclis historiam accommodarunt. Propterea autem qui omnem illam historiolarum multitudinem, tamquam inutilem congeriem aspernantur, eos magno puto teneri errore. Tantum abest, ut horum sententia amplectenda sit, ut, nisi de accuratiore πεντηκονταετίας cognitione plane desperaveris, nil magis opus esse videatur, quam haec quoque levia quasi vestigia, saepe quidem etiam fallacia, curiose premere, atque cum reliquis, quibus vetustas pepercit, comparare subsidiis. Nam quis tantae est credulitatis, et perversitatis tam dementis, ut per se narratiunculas illas persuadere existimet? Ego autem ea subsidia, quibus solis freti alii rem profligare conati sunt, hucusque de industria omisi, quod, quum et ipsa prava saepe praeberent, et falso essent explicata, omnis ea esse confusionis auctores intellexi.

Clinton enim et qui eum secuti sunt plurimi Themistoclem ostracismo ejectum putant Ol. 77, 2 ἐπὶ Πραξιέργου, sex annis postquam Athenienses principatu potiti essent, et quinque annis ante quam fugisset ad Persas. Ita rem se habere testem afferunt Diodorum (XI, 54). Non multum inde lucramur. Fac sane voluisse hoc Diodorum, alia veterum testimonia minime repudianda scrupulum injicerent ac dubitationem. Mi-

1) Sintenis ad Plut. Them. 32.

rum profecto, quinque annos inter ostracismum Themistoclis et fugam interponendos esse. Sed hoc nil moror. Quomodo autem, quae Cornelius de morte Aristidis habet, cum iis, quae in Periclis vita apud Plutarchum [1]) legimus, conciliari possunt? Sed hoc quoque aliquis defendat. Quid vero, si Plutarchus Periclem narrat auctore et suasore Aristide aerarium, quod in Delo insula erat, Athenas transportasse? Porro quid Diodoro facies, qui Lacedaemonios post mortem Pausaniae Themistoclem accusantes ostracismi auctores dicit? —

Sed ne diutius haereamus in enumerandis obstaculis. Etenim Diodorus sub eodem Praxiergo archonte narrat et ostracismum Themistoclis, et damnationem in Spartanorum synedrio, deinde quomodo Argis ille aufugerit, in Asiam trajecerit, pervenerit ad regem Persarum. Quae omnia non eidem anno adscribenda esse, vel is qui nescit, quam sit negligens Diodorus in temporibus inter Persica bella et Peloponnesiacum interjectis exponendis, sponte intelligit. Sed quaeritur, quid ex Diodori mente Praxiergi anno tribuendum, quid in priora tempora aut in subsequentia rejiciendum sit. Clinton, ut jam vidimus, de ostracismo cogitat. Hoc falsum est. Veriora indigitavit Krügerus. Putat ille Themistoclem aliquot ante annis civitate ejectum esse. Sane, ita est. Diodorus narrare voluit, quomodo sub hoc archonte Themistocles ad Artaxerxem venisset; oblata autem occa-

---

1) C. 7. *ἐπεὶ ὁ Ἀριστείδης μὲν ἀποτεθνήκει — ὁ Περικλῆς τῷ δήμῳ προσένειμεν ἑαυτόν.*

sione exposuit, quomodo ex tanto fortunae et auctoritatis fastigio vir egregius ad tantas delapsus esset miserias. Hoc jam eo non videtur a vero abhorrere, quod fugae historiam et adventum ad Artaxerxem ceteris fusius Diodorus enarravit. Quaeres autem, in quemnam annum ex Diodori calculo ostracismus conjiciendus sit. Non haesitabundus respondeo, Diodorum cogitasse de primo anno Olympiadis septuagesimae sextae. Quas tamen rationes falsas a me haberi, ex iis, quae in antecedentibus disserui, satis, opinor, elucet. — Qui vero fons istius erroris? Duorum archontum confusio. Phaedo enim, qui Ol. 76, 1 summum magistratum tenebat, cum altero Phaedone, qui archon erat Ol. 77, 4, permutatus est. Nominum aequalitas arguit errandi facilitatem.

Archontem anni Ol. 76, 1 Phaedonem esse omnes, quantum sciam, affirmant; contra qui Ol. 77, 4 archon eponymus, quem vocant, fuerit, quaestio est multum diuque agitata. Exstant enim tria archontum nomina: *Φαίων* [1]), *Φαίδων* [2]), *Ἀψηφίων* [3]), quae huic anno assignantur omnia. Boeckhius [4]), V. Cl., solum agnoscit Apsephionem; *Φαίωνος* vocem, quae apud Dio-

---

1) Diodor. XI, 63.

2) Plutarch. Theseus c. 36; Schol. Aeschin. de fals. legat. p. 755 Reiske.

3) Plutarch. Cimon. c. 8; Diogen. Laert. II, 41; Marmor Oxoniense. De scriptura nominis, quod modo *Ἀψεφίων*, modo *Ἀφεψίων*, modo *Ἀψηφίων* audit, vide Boeckh.

4) Corpus Inscript. II. p. 340.

dorum legitur, cum Bentlejo dicit corruptam esse ex *'Αψε]φίωνος*; *Φαίδων* vero nomen in rebus commemorari, quae ad Ol. 76, 1 referendae essent. — Quod *Φαίωνος* vocis emendationem attinet, ea violentior videri potest; certe multo facilius in *Φαίων* latet *Φαίδων*. Deinde quae apud Plutarchum et Scholiastam narrantur, qui ad Ol. 76, 1 removeri possint, idoneam rationem non video.

Duos igitur habemus archontes, quorum alterum, Apsephionem dico, archontem puto fuisse suffectum. Commemoratur hic ap. Plutarch. et marmoris auctorem in re notissima. Cimonem enim ex Scyro insula redeuntem, ejusque collegas tragici, quod subiit cum Aeschylo Sophocles, certaminis elegit judices. Quod magnis haud dubie factum est Dionysiis. Laertius vero Socratem natum esse dicit *ἐπὶ 'Αψεφίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδομῆς 'Ολυμπιάδος, Θαργηλιῶνος ἕκτῳ, ὅτε καθαίρουσι τὴν πόλιν 'Αθηναῖοι.* Utrumque igitur in posteriorem anni partem cadit. — At dicit Boeckhius [1]), quamvis suffectus archon eponymo successisset, tamen, qui primus electus esset, anni exstitisse eponymum. Nil me habes refragantem. Non fuit Apsephion unquam eponymus, sed Phaedoni hunc honorem tribuo. Veri enim non dissimile est marmoris auctorem non ex publicis *ἀναγραφαῖς* archontem illum repetiisse, sed ex alio quodam scriptore, qui de re literaria scripsit, de poetis et philosophis. Nam quum patrias res lapis omnino negligat, eum publicos quoque

1) L. c. I. p. 153.

archontum catalogos non qua par erat diligentia adhibuisse admodum probabile est [1]). Itaque fieri potuit, ut, quae de Sophocle tradit, ex Sicyonia de poetis et musicis ἀναγραφῇ [2]), vel, quod malim, ex Phaniae περὶ ποιητῶν libro [3]), desumeret; inde Plutarchus quoque (Cimon. c. 8), qui laudat eum tamquam virum γραμμάτων οὐκ ἄπειρον ἱστορικῶν [4]), sua videtur hausisse. Jam vero non intelligere me fateor, cur Phanias et similes scriptores, ubi Aeschyli cum Sophocle certaminis mentionem fecerunt, archontem posuerint eponymum, nec eum potius nominaverint, qui re vera judices istos creavit. Nam quum libros eorum fuisse chronologicos a vero abhorreat, omnis cardo in ipso certamine enarrando versabatur, ideoque etiam illi tantum, quorum partes in eo erant, non vero, qui publicis catalogis tradebantur, archontes erant commemorandi. Idem cadit in Diogenis locum. Accedit, quod utrumque, quod Plutarchus et Laertius narrant, duorum tempore factum est festorum, quibus praeerat archon κατ' ἐξοχήν sic nominatus; igitur qui de

---

1) De auctoritate Boeckhius l. l. dicit: „Huic auctori, homini mediocriter docto, non ego tantum tribuerim, quantum, qui primo novae rei gaudio elati sunt, priores editores, Lydiatus, Bentlejus, Corsinus, qui huic marmori unice addicti sunt."

2) Boeckh. Corp. Inscr. II. p. 303. Saepius illa laudatur ap. Plut. de musica.

3) Athenaeus VIII, p. 352 C.

4) Themistocl. c. 13.

suffecto non cogitarunt, Apsephionem jure suo habuerunt vere eponymum.

Suffecti autem archontis cum eponymo commutationem eo libentius largieris, quo saepius accidit, ut vel ii, qui aliam quamcunque ἀρχήν habebant, eponymi numerati sint. Ita Plutarchus in vita Aristidis [1]), φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, dicit, ἄρξαι τὸν ἄνδρα (sc. Ἀριστείδην) μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην. Ἐν δὲ ταῖς ἀναγραφαῖς, μετὰ μὲν Ξανθιππίδην, ἐφ' οὗ Μαρδόνιος ἡττήθη Πλαταιαῖσιν, οὐδ' ὁμώνυμον Ἀριστείδην λαβεῖν ἐστι· μετὰ δὲ Φάνιππον, ἐφ' οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης ἄρχων ἀναγέγραπται. Plutarchum de archonte eponymo cogitasse in aprico est. Boeckhius [2]) vero praeclare docet, ne ipsum quidem Demetrium Aristidem habuisse eponymum. Vide quae similia Vir Clarissimus de Myronide et et Agyrrhio, item habitis pro eponymis, in eodem libello affert. —

Noli tamen hanc temporum perturbationem Diodoro, aut Plutarcho, aut alii imputare serioris aevi scriptori. Obvia fit apud vetustiores. Certe locus, quem ex Plut. modo apposui, jam Demetrium Phalereum Phaedones illos commiscuisse videtur demonstrare. Aristides enim, ut infra videbimus, mortuus est circa Ol.

---

1) Aristid. c. 5.

2) De archontibus pseudeponymis p. 5, 6. — ἀρχή illa Aristidis procul dubio ad τὴν φόρου διάταξιν spectat.

79, 2; Demetrius autem dicit eum post proelium Plataicum brevi ante obitum gessisse magistratum. Quae mira esset temporis determinatio, si mortem Aristidis eodem ille quo nos statuisset anno. Itaque Demetr. quae a Phaedone II. numerari debebant, a Phaedone I. numerasse videtur. — At reputanti mihi Phalerei gravitatem et auctoritatem, ingenue fateor mirum videri, tanto eum falli errore. Quod me movet, ut illam, quam dedi, confusionis explicationem non ita defendam, ut hancce alteram locum habere posse negem.

Phaedonem et Apsephionem unum eundemque hominem esse statuas. Phaedo errore satis illo antiquo oriundus est ex nomine Apsephionis. Depravationis vestigium praebet forma *Φαίων* apud Diodorum, unde alii finxerunt *Φαίδων*. Quum vero unus tantum Phaedo in *ἀναγραφαῖς* reperiretur, quae ad commentitium illum et ex errore natum facta pertinebant, scriptores ad alterum retulerunt. Inde ista perturbatio. Idem Demetrium obturbavit. Legit ille fortasse in libro aliquo errori isti dedito Aristidem mortuum esse sex annis post Themistoclis ostracismum sub Phaedone archonte civitate expulsi. Demetrius vero quum in catalogis unum tantum Phaedonem, Ol. 76, 1 munere fungentem, reperiret, facile est ad intelligendum, quomodo dicere potuerit *ἄρξαι τὸν ἄνδρα μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου*.

Hactenus de ortu falsae chronologiae. Inde quid ad explicandam Aristidis historiam redundet, mox, ubi de eo disseremus, videbimus. Jam pauca adjicere liceat de Themistocle.

4.

Primum de Diodori narratione ita monebo, ut demonstrare studeam, ea, quae de Themistoclis ostracismo et de Lacedaemoniorum accusationibus profert, ex duobus, ut videtur, fontibus esse conflata. Mirum enim quantum Diodori historia non tantum ab iis, quae Plutarchus aliique tradunt, discrepet, sed abhorreat etiam ab omni veri similitudine. Ex hujus sententia Lacedaemonii, invidia ducti, Themistoclem accusarunt, quod una cum Pausania regi se Persarum ad opprimendam Graeciam junxisset. Id vero factum est multum ante quam obstracismo patria ejectus est; nam *τότε μὲν ἀπέφυγε τὴν τῆς προδοσίας κρίσιν. Διὸ καὶ τὸ μὲν πρῶτον μετὰ τὴν ἀπόλυσιν μέγας ἦν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις· ἀγάπων γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις διαφερόντως οἱ πολῖται· μετὰ δὲ ταῦτα οἱ μὲν φοβηθέντες αὐτοῦ τὴν ὑπεροχήν, οἱ μὲν φθονήσαντες τῇ δόξῃ, τῶν μὲν εὐεργεσιῶν ἐλάθοντο, τὴν δ' ἰσχὺν αὐτοῦ καὶ τὸ φρόνημα ταπεινοῦν ἔσπευδον. κ. τ. λ.*

Deinde, postquam testarum suffragiis ejectus esset, Lacedaemonios, dicit, caussam iterasse, et ad commune Graecorum judicium eam deferendam censuisse. — Primae tempus accusationis, si veram sequimur chronologiam, in annos cadere debet, qui Salaminiam et Plataeensem pugnam excipiunt. Nam Cimone demum imperatore Themistoclis auctoritatem deminutam esse unanimis est veterum scriptorum consensus; antea plurimum valuit; magnam vero hanc auctoritatem Lace-

daemoniorum accusatio antecedit; caussam autem invidiae eandem Diodorus narrat, quam Thucydides. Apparet igitur haec ne tum quidem, si Ol. 77, 4, nedum si, ut Diodorus facit, multis annis antea Themistoclem expulsum statuamus, posse conciliari. — Haec vero perturbatio inde oriunda esse videtur, quod quae diversa erant, auctor in unum conglutinavit. Legit ille, sic enim videtur, res Themistoclis post Medica bella gestas; quomodo Atheniensium civitatem auxerit, quomodo Lacedaemonii simultate eum prosecuti sint; ut uno verbo dicam, ea legit quae Themistocles egit inde ab Ol. 75, 3 — 77, 1, inter alia fortasse Themistoclem a Lacedaemoniis accusatum esse apud Athenienses. Alter auctor, quo usus est Diodorus, ostracismum Themistoclis narravit et, quae subsequitur, damnationem. Verum hic temporum ordinem adhibuit, nominavit autem Phaedonem archontem a. Ol. 77, 4. Diodorus nesciens Phaeonem, quem ipse Ol. 77, 4 archontem habebat, esse eundem, ostracismum dedit anno Ol. 76, 1. Jam vero, quum quae alter auctor de Themistocle narraret, in idem tempus caderent, et quum ille fortasse Lacedaemoniorum aliquam Themistoclis accusationem afferret, Diodorus utrumque ita conjunxit, ut accusationem iteratam diceret. —

Accedamus ad ea, quae de Sicula Themistoclis peregrinatione apud veteres traduntur. His enim sententia nostra, duas temporum exstitisse computandorum rationes, magis confirmatur. — Narravit iter istud

Stesimbrotus [1]), de quo Plutarchus [2]), *οὐκ οἶδ'*, ait, *ὅπως ἐπιλαθόμενος τούτων, ἢ τὸν Θεμιστοκλέα ποιῶν ἐπιλαθόμενον, πλεῦσαί φησιν εἰς Σικελίαν, καὶ παρ' Ἱέρωνος αἰτεῖν τοῦ τυράννου τὴν θυγατέρα πρὸς γάμον, ὑπισχνούμενον αὐτῷ τοὺς Ἕλληνας ὑπηκόους ποιήσειν· ἀποστρεψαμένου δὲ τοῦ Ἱέρωνος, οὕτως εἰς τὴν Ἀσίαν ἀπᾶραι.* —

Quam Themistoclis ad Hieronem peregrinationem effictam esse et propter Thucydidis aliorumque scriptorum de hac re silentium, et propter Stesimbrotei libri naturam et indolem, non est, quod addubites [3]). Nam

---

1) In libro *περὶ Θεμιστοκλέους, καὶ Περικλέους, καὶ Θουκιδίδου.* v. Athenaeum XIII. p. 589. D.

2) Themistocles c. 24.

3) De Stesimbroto v. Voss. de historicis gr. IV. c. IX. p. 445; Johns. de scriptor. histor. p. 29. Apud Plut. v. Themistocl. c. 2. cum nota Sinten. p. 15, Pericl. 8, 10, 13, 26, 36. Cimon. 14, 16. Nec tamen putaverim hoc iter a Stesimbroto esse inventum, sed a comico poeta, et quidem, nisi mea me fallit suspicio, a Timocreonte Rhodio, de quo Suidas: *διεφέρετο δὲ πρὸς Σιμωνίδην καὶ Θεμιστοκλέα, εἰς ὃν ἐξύφανε ψόγον δι' ἐμμελοῦς τινος ποιήματος· ἔγραψε κωμῳδίαν εἴς τε τὸν αὐτὸν Θεμιστοκλέα καὶ ἐς Σιμωνίδην τὸν μελοποιόν* (quae num vera fuerit comoedia in medio relinquo. v. Boeckh. Ind. lectt. univers. Berol. sem. aestiv. 1833). Timocreon Simonidem omni modo perstrinxit, maxime vero ob avaritiam et habendi amorem. Quod quomodo facetius fieri potuit, quam si apud Hieronem Syracusis poetam versantem comicus repraesentaverit? Ibi enim avara ejus et sordida natura maxime apparuit. (Aristot. Rhetor.

primo oculorum obtutu perspicimus eam ad itineris in Persiam similitudinem excogitatam esse. Utrique, et Hieroni et regi Persarum, idem Themistocles pollicetur; apud Artaxerxem puellam in matrimonium ducit, idem apud Hieronem facere studet.

Sed ut de tempore statuamus, veram συγγραφεὺς iste chronologiam adhibuerit necesse est. Itaque quum a Molossorum rege in Siciliam, inde vero recta via in Asiam Themistocles proficisceretur, non ante ultimos menses anni Ol. 78, 2 Syracusas venire potuit. Sophista autem, Themistoclis epistolarum auctor, dicit [1]) eum in fuga ambiisse Gelonem, tamen, quum Siciliam appulisset, reperisse in regno jam nuper constitutum Hieronem. Nimirum putavit epistolarum faber Themistoclem ad Xerxem venisse 77, 2, antea autem convenisse Hieronem, qui quum ex Marmoris calculo, falso illo quidem, Ol. 77, 1 tyrannidem nactus sit, bene ille dicere potuit, Themistoclem venisse ad Hieronem in regno nuper constitutum. Cur vero paullo post Gelonis obitum Siciliam eum appulisse dicat, ideo-

---

II, 16 p. 104 Tauchn.; Plutarch. an seni sit gerend. resp. p. 786 A. B.; Athen. XIV p. 656, C, D.; Plut. de curiositat. p. 520 A. cf. Goens dissertat. de Simonide.). Eandem ob causam Themistoclem dicteriis bile refertis persecutus est. (v. Plut. Them. 21). Ita subnascitur suspicio poetam cum Simonide in Sicilia amicum ejus composuisse Themistoclem, quippe quae scena aptissima esset, ubi acerrimos suos adversarios omni sale perfricaret. Nam Themistocles ad Hieronem confugiens apparuit μηδίζων (cf. Plut. Them. 25).

1) Themist. Epistol. IX. cf. Dodwell. Annal. Thuc. p. 73.

que falsum de Gelonis imperio calculum adhibeat, hoc fortasse modo explicandum est. Fingas, quaeso, auctorem quendam, verae tamen addictum chronologiae, rem ita narrasse, ut Themistoclem ad Hieronem proficisci voluisse diceret, reperisse autem in locum ejus subsecutum Thrasybulum (Ol. 78, 2). Sophista igitur, quum idem septem annis ante factum esse narrare vellet, rem ita mutavit, ut supra indicavimus. Cujus rei ansam praebuit illa temporum computatio, quam sequitur Marmor Oxoniense. —

Quod superest, paucis moneo de illa scriptorum discrepantia, qua Themistoclem alii (Thuc., Charon Lampsac.) ad Artaxerxem, alii (Ephorus, Dino, Clitarchus, Heraclides) ad Xerxem pervenisse tradunt. Quam difficultatem Dodwellus quomodo dissolverit, dixi in antecedentibus. Jam vero si reputemus temporum perturbationem atque ἄτην ejus πρωτάρχην, illam quoque dissensionem ex eodem fonte manasse non negaveris. Nam qui fieri potuit, ut ii, qui Ol. 77, 2. Themistoclem ad regem Persarum venisse traderent, de Artaxerxe cogitarent? —

5.

His praemissis, redeundum nobis est eo, unde digressi sumus. Igitur quae de morte Aristidis passim leguntur ad brevem conspectum revocemus, et quae probanda sint secernamus ab iis, quae rejicienda esse videantur.

„Suspectam Lacedaemoniis fidem suam Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quae erat in stipen-

dium Persici belli ab universa Graecia collata, a Delo Athenas transferunt." Quod Justini verbis [1]) ego extuli, et aliunde satis constat, id Aristide auctore factum esse ex Theophrasto docet Plutarchus [2]). Aerarium autem quum Ol. 79, 4. Athenas translatum sit, non ita multum ante hunc annum Aristidem adhuc vixisse facile concedas. Diem igitur obierit Ol. 79, 2. —

Pergimus ad alium Plutarchi locum, ubi falsam rationem deprehendimus, cui deinde tertium adjiciemus, quo utraque numerandi ratio, vera cum falsa, permixta est. Etenim in Periclis vita [3]) leguntur haec: *Ἐπεὶ δ' Ἀριστείδης μὲν ἀποτεθνήκει, καὶ Θεμιστοκλῆς ἐξεπεπτώκει, Κίμωνα δ' αἱ στρατεῖαι τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ἔξω κατεῖχον, οὕτω δὴ φέρων ὁ Περικλῆς τῷ δήμῳ προσένειμεν ἑαυτόν.* Auctores quum de eo conveniant omnes, quod Periclem Ol. 77, 4 rempublicam cepisse dicunt [4]), paullo ante, circa 77, 3 Aristides vita decesserit necessarium esse videtur. Et profecto de Ol. 77, 3 Plutarchus cogitasse debet. Teneas tantum, quod supra dixi, mortem Aristidis pertinere ad Ol. 79, 2, deinde computes quae vero calculo cum falso ratio intercedat, jam intelliges hoc ipso errore sententiam nostram consolidari (cf. tabulam.).

Eandem vim habet alter locus Plutarchi in Ari-

---

1) III, 6.

2) Aristid. v. 25.

3) C. 7.

4) Plut. Pericl. c. 16. Cic. de oratore III, 34. cf. Clinton f. h.

stide [1]). *Τελευτῆσαι δ' Ἀριστείδην οἱ μὲν ἐν Πόντῳ φασίν ἐκπλεύσαντα πράξεων ἕνεκα δημοσίων· οἱ δὲ Ἀθήνησι, γήρᾳ τιμώμενον καὶ θαυμαζόμενον ὑπὸ τῶν πολιτῶν.* Posterius verum [2]), alterum est eorum, qui Ol. 77, 3 Aristidem mortuum esse volunt; hoc vero anno quum sociorum tributa constitueret, factum est ut diem obiisse eum dicerent *ἐν Πόντῳ.*

Adjungas, sis, Crateri testimonium [3]), non satis illud quidem accuratum, qui *μετὰ τὴν Θεμιστοκλέους φυγήν* (= post Ol. 78, 2) Aristidem fato defunctum dicit. Putaveris fortasse hunc auctorem, quum *περὶ τὴν Ἰωνίαν* Aristidem mortem obiisse tradat, *φυγήν*, ut saepius factum esse videtur, confudisse cum ostracismo, aut falsam de Themistocle secutum esse chronologiam. Sed quae de Aristide narravit post Themiclis fugam accusato, et, quum multam solvere non posset, in Asiam confugiente (quae quidem omnia commentitia esse Plutarchus recte asseverat), ea ostendunt Craterum, quum illi tempori, quo revera in insulis Aristides erat, mortem ejus non posse tribui ipse bene perspiceret, hoc tantum studuisse efficere, ut famae illi, quae erat de morte ejus in Asia, speciem daret verisimilitudinis.

Claudit agmen Cornelius, qui „decessit", ait, „fere post quartum annum quam Themistocles Athenis erat

---

1) C. 26.

2) Sepulcrum erat Athenis; adde quod de paupertate ejus narratur, unde efferretur non relinquentis.

3) Plut. Aristid. c. 26.

expulsus." Hoc cum reliquis non congruit. — Verum enim vero si consideres, quanta ἀνιστορησίᾳ et ἀκρισίᾳ vitae Cornelii conscriptae, et quantae partes sint ἁμαρτημάτων μνημονικῶν [1]), non audacem dixeris Dodvellum [2]), Cornelii verba non de ostracismo intelligentem, sed de fuga in Persiam. Ita mortuus est Aristid. Ol. 79, 2. Haec explicandi ratio simplicissima videtur; animi causa alteram propino. Quam negligenter enim Cornelius in temporum computatione egerit, aut quam pravos duces secutus sit, in Aristidis vita eo demonstrari solet, quod hunc dicat sexto fere anno, postquam esset expulsus, populiscito in patriam restitutum esse, quum tamen anno tertio eum revocatum ex Plutarcho constet et ex Herodoto. Quid mirum, si hoc genus duce confisus mortis tempus tradiderit! Noli tamen statim resecare membra putredine affecta. Nam levitatis et negligentiae crimen eo potest fere dilui, quod scribam numeros permutasse statuamus. Primo igitur loco scribas „IVto", altero „VIto." Scriba vero facillime errare potuit, si tota vita, quae brevissima est, una eademque pagina continebatur. —

Ut temporum discrepantia, vel discors potius concordia, ut ita dicam, clarius sub oculos cadat, hancce tabulam adjicere liceat.

---

1) V. Hisely de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis.

2) Annal. Thucyd. p. 83.

Ol. 76, 1. Themistocles testarum suffragiis ejectus Argos concessit.	Ol. 77, 4. Themistocles testarum suffragiis ejectus Argos concessit.
Ol. 76, 2. (Argis commoratur.)	Ol. 78, 1. Themist. convenit Pausanias. Pausan. moritur. Them. accusatur, defendit se *διὰ γραμμάτων*.
Ol. 76, 3. (Argis aufugit.)	Ol. 78, 2. Argis aufugit; appellat Corcyram; deinde ad Admetum venit etc. [in Siciliam se confert]
Ol. 76, 4. (Naxum defertur, venit in Asiam.)	Ol. 78, 3. Sub finem hujus anni Naxum fertur tempestate; pervenit Ephesum.
Ol. 77, 1. Ad Hieronem venit paullo post mortem Gelonis sec. M. P.	Ol. 78, 4. Th. literas mittit ad Artax. „*βούλομαι δ' ἐνιαυτὸν ἐπισχὼν αὐτός σοι περὶ ὧν ἥκω δηλῶσαι.*"
Ol. 77, 2. Venit ad Xerxem.	Ol. 79, 1. Them. apud Artaxerxem *νεωστὶ βασιλεύοντα.*
Ol. 77, 3. Aristides moritur *ἐν Πόντῳ.*	Ol. 79, 2. Aristides moritur Athenis.

6.

Quae hucusque disserui, ea sunt quasi fundamenta, quibus, quod de Thebanae fabulae commissionis tempore sentio superstruendum est. —

Ne longus esse videar, eorum rationes, qui inter Ol. 76, 4 et 77, 4 fabulam edoctam volunt, vereor ne non modo probabilitatis speciem prae se non ferant, sed ne credibiles quidem judicari possint. Nam siquidem recte sese habet quod uno ore omnes affirmant, ut Aristidis virtutes nitidis coloribus in hac tragoedia depingerentur, sic graviter perstringi Themistoclis insolentiam, quid magis exspectaveris, quam actam esse fabulam post ejectum demum patria Themistoclem? Quod si tenemus, ne inter illas quidem Septem c. Th. videtur fuisse fabulas, quibus 77, 4 in arenam contra Sophoclem poeta descendit, quum Themistoclem his ipsis Dionysiis Athenis adhuc versatum esse probabile sit. Post acceptam vero cladem in Siciliam ad Hieronem regem Aeschylum se contulisse veterum testimoniis habemus testatissimum [1]. Hic degisse videtur ad mortem usque Hieronis, vel paullo diutius; ne multum tamen tempus post obitum regis Syracusis, aut Gelae eum commoratum esse statuamus, turbae, quibus tunc Sicilia vexabatur, et seditiones videntur impedire. Itaque tertio fere anno rediit Athenas [2], Ol. 78, 2—3.

---

1) V. G. Hermann. opusc. tom. II. p. 149 sqq.

2) Inde ab altero in Siciliam itinere (Ol. 80, 2) usque ad mortem poetae item tres sunt anni (ἐπιζήσας

Inde usque ad mortem Aristidis spatium restat trium annorum. Igitur Thebana fab. edocta est Ol. 78, 4 vel Ol. 79, 1, non multum ante Supplices, quae fabula, ut monet C. Odofr. Müller, V. Cl., circa Ol. 79, 2 commissa est [1]). —

Quod argumentis ex historia repetitis demonstrare studui, idem alia ratione quodammodo assecutus esse videtur Lachmannus [2]), qui, „in Supplices", ait, „retulit ex Thebana repetita quaedam, et quidem brevioribus verbis compehensa." Ex eo genere affert haec:

Suppl. v. 177. ὅρῳ κόνιν ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ
σύριγγες οὐ σιγῶσιν ἀξονήλατοι
= Sept. v. 81. αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ' ἄναυδος, σάφης, ἔτυμος ἄγγελος —
v. 138. ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι —
v. 187. ὅτε τε σύριγγες ἔκλαγξαν ἑλίτροχοι. —

τρίτον ἔτος — ἐτελέυτα vit. auct.) Hos annos Suidam cum illis, quos post primum iter Aeschylus Syracusis degit, commutasse arbitror. Sic enim apparet, cur, quamvis idem referat Aeschylum Ol. 70, 1, ubi cum Pratina certavit, annos natum fuisse viginti quinque, tamen contendat mortuum esse poetam anno vitae quinquagesimo octavo, Ol. 78, 2.

1) Eumenid. p. 122, 123. — Droysen in libro elegantissimo (Aeschylus Werke II. p. 306.) 474 vel 473 commissionis annum statuit. Erravit propter temporis calculum, cui ille addictus; deinde vero nimis audacter egit, quod hunc annum ex versibus eruit corruptissimis, quorum usus ad temporis determinationem nullus esse potest, nisi probabiliter emendatorum.

2) De mensur. tragg. p. 9.

Alia affert Haupt (Sept. p. 324).

Sept. v. 413. μεσημβρινοῖσι θάλπεσι
= Suppl. v. 728. ἐν μεσημβρίας θάλπει.
Sept. v. 326. μιαίνων εὐσέβειαν Ἄρης
= Suppl. v. 638. μάλλον Ἄρη — μιαίνοντα.

Quae omnia hoc certe probant utramque fabulam eodem fere tempore compositam esse. Sed ut illud quoque, post Aeschyli peregrinationem Septem c. Th. Athenis in scenam productam esse, aliis, quam hucusque feci, argumentis ostendam, plura se offerunt, quae minime spernenda esse puto. Posita sunt ea fere omnia in Aeschyli Συελισμῷ, quem equidem non ad verba solum, sed etiam ad artem, qualem in plurimis poetae tragoediis deprehendimus, retulerim. — Ut de verbis ordiamur, res est notissima veteribusque bene perspecta [1]), Aeschylum ad augendam tragoediae gravitatem multa in sermonem suum recepisse, quae ex Siculorum consuetudine profecta sunt. In Persis vero nulla reperiuntur, aut levissima tantum hujus rei vestigia, contra in iis, quae post editae sunt, fabulis permulta obvia fiunt, quae sapiant sermonem peregrinum. Quorum quoniam Theodorus Bergk [2]) magnam

---

1) Athen. IX, p. 402 C. ὅτι δὲ Αἰσχύλος διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς οὐδὲν θαυμαστόν. Et quod Macrobius (Saturnal. V, 19) Aeschylum nominat „virum Siculum", id non tantum de commoratione acceperim. Cf. Boeckh. de princip. tragg. p. 53.

2) V. Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1835. N. 118 sqq.

copiam congessit, ea, quae in nostra fab. leguntur, adscribam.

Primum huc referenda V. D. putat illa verba, quae in ωμα desinunt; hunc enim exitum frequentissimum dicit in Empedoclis carminum reliquiis. In Thebana exstant haec: πύργωμα v. 30, 233, 451; πύλωμα v. 390, 781; χείρωμα v. 1013; πέπλωμα v. 1030; χαίτωμα v. 357; ῥίζωμα v. 395; τρίχωμα v. 648; πλεύρωμα v. 872. — Deinde θρεῦμαι (v. 78), quod contrahendi genus Siculorum proprium, et εὐεστὼ, quam vocem frequentem dicit in Doricorum philosophorum reliquiis. His fortasse addas vocativi formam γυνή v. 207, nisi vox corrupta est. — Postremo studium animadvertimus similes in vocabulorum exordiis quaerendi literas, quod prae ceteris Siculorum proprium erat. v. c. Septem v. 20.

ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὅτλον.

Quae quidem num omnia vere sint Sicula, atque ex itinere illo profecta, acutiorum judicio decernendum relinquo. Nam ne dicam, quam facile accidat, ut reperiundi cupiditate his in rebus a vero abducamur, quae temperamenta apud tragicos poetas patrio sermoni et unde accesserint jam propterea dictu difficillimum est, quod Atticorum dialectus Aeschyli quidem aetate quasi in incunabulis haesit, et multa sine dubio habuit, quae, quum apud ceteros evanescerent, a tragicis retinebantur. —

Verum non sermonis tantum nervos Sicula ista commoratione corroboratos esse puto, sed etiam compositionis ars et tractationis multum inde profecisse vi-

detur. Nonne in Persis prorsus alias, quam in reliquis trilogiis poeta leges secutus est [1])? Ita Thebais, si non omnium, earum tamen, quarum majores particulae ad nos pervenerunt, trilogiarum prima haberi potest, ubi tres tragoediae, quum unam eandemque fabulam tractent, unum efficiant et simplex. At occurrat aliquis, qui, quum nesciamus an non Persarum trilogia in suo genere unica sit, omnem hanc de liberiore arte, qua illo tempore trilogias Aeschylus composuerit, sententiam in mera conjectura positam esse dicat. — Comparemus igitur ipsas, quas superstites habemus, tragoedias. Multa quidem in Persis et in Septem contra Thebas similia sunt, eo tamen dissimilia, quod in altera majorem artem produnt. In utraque chorus eundem fere locum occupat, sed virginum cantilenae multo majorem praebent varietatem; in utraque fabula nuntii narratio praevalet, at videas quam pulcre in Septem narrationis nimiam simplicitatem Eteoclis orationibus poeta evitaverit, et ad artem vere dramaticam propius jam accedat. Et recte observatum est, dialogum hic multo esse artificiosiorem, quum in Persis aut nullus esset, aut totus fere contineretur interrogatorum responsionibus, omninoque illud tempus argueret, quo rudem simplicitatem tragoedia modo reliquisset. Transitus denique ad sequentem fabulam, qui in Persis desideratur, in Septem quam apte paratus est!

In fine hujus capitis suspicionem in medium pro-

---

1) Quod jam agnovit Aristoteles Poetic. XXIII, 3. cf. Welker Aeschyl. trilog. p. 477, 481.

ferre liceat, quae ultro sese obtulit. Verisimile mihi videtur Aeschylum jam in Sicilia Thebanae trilogiae componendae cepisse consilium. Thero enim, qui a Cadmo, Oedipode, Polynice etc. originem ducebat, quum necessitudine cum Syracusarum principibus esset conjunctus, poetis, qui Hieronis aliorumque Siciliae tyrannorum favore fruebantur, Thebanas et Argivas fabulas carminibus suis celebrandi apta dabatur occasio, et quasi officium. Ita Pindarus non affinitate solum sed etiam fortuna summam canit Siciliae regibus cum Cadmidarum gente intercedere similitudinem. Carmen Olymp. II totum fere in describendis Emmenidarum fatis ita versatur, ut pristinam Labdacidarum calamitatem in hac familia revixisse dicat. Atque in Nemaeo carmine IX, in Chromii, qui Hieroni erat affinis, honorem composito, Adrasti historiam et Amphiarai, et bellum narrat adversus Thebas susceptum contra voluntatem deorum. Quae omnia Boeckhius ad dissensiones inter Theronem et Hieronem regem referenda esse existimat. Simili de caussa Aeschylus quoque in Thebanam fabulam tractandam poterat incidere, praesertim postremo Siculae commorationis tempore, ubi seditiones illae omnem civitatis statum evertere jam inceperant. Est tamen, cur in Sicilia eam edoctam esse noluerim. —

II.

De compositione trilogica.

7.

Inter omnes, quae aetatem tulerunt, Aeschyli tragoedias nullam reperies, cujus compositio trilogica tot experta conjecturas sit, quot de fabulis, quae una cum Septem contra Thebas editae sint, et de ordine, quo illae se exceperint, viri docti protulerunt sententias magna plerumque dissensione distractas. Quod vero sententiarum divortium eo faciliorem excusationem habere videtur, quo major est, qui Thebanas fabulas exhibet, tragoediarum numerus, et quo minus contingit, ut certa veterum auctoritate sententiam tuam confirmare, relictisque dramatum fragmentis illustrare possis. Nam quum illa saepenumero defecerit, haec tantum non plane nobis erepta sint, plurima relicta sunt conjecturis tenuiora rerum vestigia persequentibus, et fingendi arbitrio. —

Ne tamen commentatiuncula haec in libri spatium excurrat, Siebelis, Boeckhii, Genellii, Hermanni, alio-

rum virorum doctorum conamina silentio licitum sit praeterire, solamque Welkeri sententiam, quippe cui plurimi adstipulati sint, paucis attigisse sufficiat. Ille enim primam tril. tragoediam Nemea, alteram Septem contra Thebas, tertiam Phoenissas fuisse dixit [1]).

Quarum tamen conjunctio fabularum id habuit ad persuasionem non satis accommodatum, quod postrema pars Phoenissarum loci neglexit, quam vocant, unitatem. Quae quamvis apud vett. tragicos non ita lege sancita sit, ut, ubi interiores rationes eam commendent, non debeat violari; propterea tamen haec trilogiae adornatio rejicienda est, quod Aeschylus, Homerum secutus, aliosque poetas vetustiores, non Coloni Oedipum, sed Thebis mortuum dicit [2]). Jam si intelligitur

---

1) Trilog. Aeschyl. p. 359 sqq.

2) Ita statuendum est propter Sept. v. 960., 975.

ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερὰ,
πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά —

ubi *σκιά* vox non, ut schol. volunt, de Oedipode vel senio vel caecitate confecto intelligenda est, sed spectat ad *εἴδωλον* ejus, quod paternam hereditatem dividens per quietem apparuit Eteocli (*ἐνυπνίων φαντασμάντων ὄψεις* 692). Idem docet v. 897 (*τάφων πατρῴων λαχαί*) quem Schütz recte explicavit: deinde v. 995 (*ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον*) et Eteoclis verba v. 672. *Ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν Φοίβῳ στυγηθὲν τὸ Λαΐου γένος.* — Cf. Homer. Il. XXIII, 679 *ὅς ποτε Θήβας ἦλθε δεδουπότος Οἰδιπόδαο Ἐς τάφον*, ubi Schol. *ὅτι βα-*

Sophoclis et Euripidis tragoediis, quae in iisdem versabantur argumentis, sed propter politica poetarum consilia a vetusta traditione saepe recedebant, a vero viros eruditos seductos esse, simul via monstrata est, quae sola possit ad probabilem de Thebana trilogia adducere conjecturam. Nam quum Aeschylum in illa de morte Oedipodis narratione jam viderimus Homeri vestigia prementem, et praeterea a veteribus scriptoribus affirmatur, quod ipsi ex fabulis, quot supersunt, compertum habemus, Aeschyli tragoedias *τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων;* quis est, qui non libenter concesserit Septem contra Thebas quoque, et quae erant cum ea conjunctae fabulas ad Thebaidis, cyclo Homerico annumeratae, similitudinem, ut ex ore quasi imaginem, expressas esse?

Verum enim vero quum Thebaidis, quam intuens poeta ad ejus imitationem artem dirigebat, forma et compositio oculis cerni nequeat, sed cogitatione tantum et mente complectenda sit, equidem nil minus quod velim effecerim, quum experiri id noluerim, quod me assequi posse diffidam, nisi vir exstitisset et eleganti doctrina, et eximia quadam ingenii sagacitate valde excellens, Welkerum ajo [1]), qui Homeri maxime et Pindari et Aeschyli testimoniis adjutus carminis hujus

---

σιλεύοντα ἐν Θήβαις φησὶν ἀπολέσθαι, οὐχ ὡς οἱ νεώτεροι. De quibus omnibus v. Welker in Ephem. Scholast. 1832 p. 129, 168.

1) „Thebais u. d. Epigonen, auch des Amphiaraus Ausfahrt und Alcmäonis genannt" in Ephem. Scholast. 1832. N. 14-23; 27-30.

epici non corpus quidem in vitam revocavit, quod ne Deo quidem concessum est, umbram tamen ostendit, quâ quae fuerint et quot corporis partes luculenter licet cognoscere. Idem vir Cel. in eadem commentatione de Thebana Aeschyli trilogia tulit judicium, quod, si epicum carmen noveris, sponte fere subnascitur. Una cum Septem f. editae sunt Nemea et Eleusinii, quae fabularum trias summa Thebaidis capita comprehendit. — In sequentibus singularum tragoediarum argumenta, eorumque expositionem, quantum ejus propter ingenii tenuitatem fieri poterit, Welkero duce, paucis lineolis adumbrare conabor.

8.

Nemea.

Argivis ad Nemeam, quae Aulis erat belli Thebani, aquam quaerentibus fontem monstrat Hypsipyle, nutrix Opheltae, Lycurgi filii et Nemeae. Interea puer, quem in gramine depositum reliquerat, a serpente Jovi sacro interficitur, ipsum vero serpentem deinde necarunt Argivi. Haec accidisse putanda sunt antequam demittebantur aulaea.

Initio igitur tragoediae nuntius ad Lycurgum, regem et Jovis sacerdotem [1]), properans in scenam procurrit, ut quae accidissent enarraret. Secutus est haud dubie commus et doloris plenus propter filium dracontis dente dilaceratum, et furoris propter Hypsipylae Lesbiae incuriam. Tum chorus ex ancillis, aut, quod malim,

1) Welker l. l. p. 74.

ex sacerdotibus compositus, stasimum cecinit, quo dolorem suum effunderet, et quid de Hypsipylae facinore sentiret, declararet; simul vero, ut transitus ad sequentem actum scite pararetur, ad caussam tanti infortunii, ad Argivorum exercitum, qui impio consilio ad Thebas perdendas proficisceretur, potuit respicere.

In media fabulae parte primas agit Amphiaraus, qui una cum Polynice aliisque fortasse Argivorum ducibus in scena conspiciebatur. Vates enim, quum coactus tantum valdeque repugnans expeditionem susciperet, non defuit ille occasioni ad ea, quae praesago animo eventura esse videbat, jam pronuncianda. Itaque mortem Opheltae, quem nunc Archemorum nominavit, omen praedicavit infaustum, omnesque dixit praeter unum Adrastum proelio perituros esse [1]); atque, ut quo jure ita sentiret penitius intelligeretur, Polynicis historia demonstravit, quam injustum, quam impium bellum susciperent, (cf. Sept. 562), quam vehementem denique tempestatem dirae minarentur Oedipi exsecrationes [2]). Apte potuit Archemori necem ad signa referre Jovis *νεμείου*, qui idem Thebanis exstiturus

---

1) Hoc enim liquet ex Sept. v. 49.
μνημεῖα δ'αὐτῶν τοῖς τεκοῦσιν δόμους
πρὸς ἅρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἕστεφον, δάκρυ
λείβοντες, sqq.

2) Sic, quae de hac re in Sept. leguntur, melius poterunt intelligi. Quod ad ipsam hanc scenam attinet cf. celeberrimam sardam Stoschianam in Lippert. Dactylioth. scrin. III. P. II. n. 36 et C. O. Mülleri monumenta art. vett. V. N. 319.

esset σωτήρ (cf. Sept. 808, 502); ideoque ea fere praedixit, quae virgines exoptant in Sept. v. 465:

ὡς ὑπέραυχα βάζουσιν ἐπὶ πτόλει
μαινομένᾳ φρενί, τώς νιν
Ζεὺς νεμέτωρ ἐπίδοι κοταίνων. —

Quod eo veri similius est, quo magis in cyclica Thebaide omnia ad Jovis signa referebantur. Polynices vero patris furias sacrificiis putans posse placari [1]), ita haud dubie se defendit, ut animi ferocia et superbia nitide depingerentur. Sed praeter Polynicem Tydeum maxime, virum item ferocissimum, ut vel nomen ostendit, itemque exulem, senex sapientissimus perstrinxisse videtur. Quod ex Septem contra Thebas suspicari licet, ubi in nuntii narratione Amphiaraus in hos duos tantum invehitur, Tydeum caedis reum appellans, civitatis turbatorem, maximum Argivis malorum magistrum, Furiae evocatorem, omnium horum malorum Adrasto suasorem. Deinde Eriphylae quoque monili Cadmeo corruptae perfidiam in Amphiarai orationibus memoratam esse putaverim. Nam quod Polynices inter viros erat, idem inter mulieres repraesentavit Eriphyle, ut ipsum nomen satis arguit [2]). Ita si hanc cum Hypsipyla composueris, habes quae pro more Aeschyleo Polynici respondeant et Tydeo. His

---

1) Similiter in Sept. 682 Eteocli chorus suadere studet Furiam non intrare domum ὅταν ἐκ χερῶν θεοὶ θυσίαν δέχωνται.

2) Ἐριφύλη = Ἐριφίλη; de literarum ι et υ permutatione v. Welker l. l. N. 16.

expositis, vix est, quod moneam hunc tragoediae actum et ad longitudinem, et ad argumentum mediae Septem fabulae parti aequiparandum esse. In stasimo autem, quod nunc sequebatur, choreutae id, quod primo fortasse cantu jam prolocuti erant, quum Amphiarai verbis confirmaretur, majori cum vehementia et acerbitate repetunt, Polynici imprimis impietatem exprobrantes et deorum contemtum.

Postrema denique tragoediae pars egit de institutione [1]) Nemeorum, quibus Archemorus honoraretur, et Jovis Lycurgique ira placaretur. Atque, ut suam quaeque dramatis pars personam exhibere solet, sic hic Adrastum prodiisse extra dubitationis aleam positum est. Ex Welkeri sententia etiam ipsa Nemea venit in conspectum. Quod etsi non minus incertum est, quam plurima, quae de hujus fabulae adornatione proferre conati sumus, tamen, quum Aeschyleo cothurno non sit indignum, ad eamque quaestionem tota fere hujus rei disquisitio revocanda sit, libenter accipio.

9.

Septem contra Thebas.

Quemadmodum omnes fere mediae trilogiarum fabulae et facinoris magnitudine, et tragico illo spiritu, animorum sensus vehementer excitante, socias fabulas longe solent superare, sic in Septem quoque ad sum-

---

1) Cf. Schol. Pind., qui de horum certaminum institutione dicit: *ἄλλου δὲ, ὧν καὶ Αἰσχύλος ἐπ' Ἀρχεμόρῳ, τῷ Νεμέας παιδί.*

mum actio commotionis adscendit et quasi perturbationis fastigium. In postrema deinde fabula affectus exsuperantia ad placidum revocatur et quietum cursum, qui quidem eo studiosius adducendus est, quo magis ille ad eam requiritur, quae tota trilogia expressa est, notionem recte percipiendam.

Sed ne ad aliena aberrare videar, ipse titulus, qui huic fabulae praefigitur, arctiore eam cum Nemeis, quam jure tuo Septem ad Nemeam appellaveris [1]), vinculo conjunctam esse innuit. Nam si argumentum hujus tragoediae per se consideratur, tragicam ejus notionem non in Argivorum pernicie positam esse, sed versari in fratrum certamine, quis est, qui neget? —

Primum in scenam prodit Eteocles, cives exhortans, ut urbem fortiter defendentes, nec turbam timentes peregrinorum, patriae telluri educationis curam velint resolvere. Omnia regis verba et gravitatem ostendunt et animi altitudinem. Narrat deinde nuntius vidisse se Argivos, qui bovinam caedem manibus tangentes aut urbem se Cadmeorum vi expugnaturos esse jurassent, aut morientes terram tincturos sanguine. Cui nil respondens Eteocles preces edit breves quidem, sed quae regem deceant; at videas quam eximiam animi anxietatem versus prodant, nolenti, ut videtur, elabentes:

ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ, καὶ πολισσοῦχοι θεοί,
Ἀρά τ' Ἐριννύς πατρὸς ἡ μεγάσθενής.

Haec, quae prologum efficiunt, non solum quae

1) Welker Triolog. p. 360.

ad fabulam intelligendam necessaria sunt, et ab adspectus judicio remota, comprehendunt, sed totius etiam tragoediae explicationem subobscure quidem indigitant, ita tamen, ut ipsa hac significationis obscuritate spectatorum animi mirum quantum ad sequentium exspectationem intendantur. Nam Eteoclem intellexisti regem esse probum et justum [1], patriaeque consulentem saluti; vexatum tamen et perturbatum patris exsecrationibus, quae, quum cardo sint totius tragoediae, nunc primum commemorantur, deinde in fabulae decursu perniciem minantes et interitum propius semper aggrediuntur, dum post fratrum exitium tropaeum erigunt, et, his devictis, quiescunt. — Rex autem urbis conditionem reputans, ne civium fortitudinem infringeret, omnem perturbationem pectore debebat recondere. Quod vero in precibus illis dirarum commemoratio excidit, id de industria poetam fecisse eo libentius largieris, quo facilius accidere potuit, ut, quam postea Eteocles agendi ostendit et loquendi rationem, ea non tam regis esse videretur justi ac probi, quam impii potius, qui regnum affectaverit, tyranni [2]. Postea neque a choro [3],

1) Talem cyclica quoque Thebais exhibuit; talem vel nomen prodit (v. Welker Schulz. p. 132 not. 57), et quod Pausanias (V, 19, 1) effictum narrat in arca Cypseli. Serioris demum aetatis tragici, favore ducti erga Argivos, et Thebanorum odio commoti, totam rem inverterunt (v. Welker l. l. p. 166 sqq.).

2) Quod vel Gruppio accidit, Ariadne p. 585. („Eteocles ist meisterhaft als Usurpator gezeichnet.")

3) Novisse chorum Oedipi exsecrationes, sed religiositate, quominus earum mentionem faciat impediri, apparet ex Sept. v. 680 sqq. Cf. Welker Trilog. p. 362. Spectatores ex Nemeis, quae res esset, cognoverant.

neque a rege hujus rei mentio ante iteratur, quam ubi summa abreptus ira et indignatione Eteocles certaminis cum fratre subeundi capit consilium. Tum demum quae intimo corde pressa diu ferbuerant, repente verbis illis prorumpunt:

οἴ μοι πατρὸς δὴ νῦν ἀραὶ τελεσφόροι (637),

tum demum profitetur quas viderit nocturnas patris species dividentis hereditatem (*ἐνυπνίων φανταϛμάτων ὄψεις, πατρῴων χρημάτων δατήριοι.* 691).

Igitur postquam poeta prologo quaedam quasi semina mandavit fabulae, quae per actionis progressionem paullatim esset proditura, drama *Ἄρεος μεϛτόν* Mavortiam magnificentiam suam choro virginum explicat terrore et metu trepidantium tumultuarie in orchestram proruente, ut deorum ad aras provolutus precibus urbi et lacrymis expetat salutem. In ipso carmine, ubi ars naturam veritatemque sequitur, imagines splendidissimae, omnem expugnationis terrorem nitidissimis coloribus repraesentantes, intermixtae sunt deorum invocationibus. Oculis cernere tibi videris hostium exercitum magis magisque appropinquantem; vivida et concitata omnia; angoris, trepidationis, desperationis plenissima [1]. — Jam vero

---

1) Siquidem chori munus, imprimis ex mulieribus vel senibus compositi, in eo est positum, ut quietem et perpetuitatem opponat personarum in scena agentium vehementi affectuum contentioni, eandem fere habes in nostra fabula chori rationem, ad altiorem tamen gradum evectam. Nam eodem modo tumultuosus virginum angor et timiditas opponitur Eteoclis dolori et et cruciatibus, multo illis majoribus, sed animi excellentis magnitudine coercitis et repressis. In fine vero

virginibus omnem miseriam effundentibus opponit se Eteocles, rex magnanimus, fronte et vultu quietem prae se ferens, sed intimis sensibus confectus anxietate. Objurgat ille chorum, ut ne clamore et tumultu civibus ignaviam excitet, hostiumque utilitati plurimum inserviat. Nil sane aptius, quo Eteoclis magnitudinem poeta declararet, hac regis et virginum oppositione reperiri potuit. Quo accedit, quod puellae minorem quidem dolorem ferentes, sed hujus cruciatum questu et fletu aperte fatentes, impediunt, quominus mirifica illa Eteoclis constantia spectatorum animos opprimat potius, quam incutiat vere tragicam sensus commotionem. Similiter rem institutam vides in media Promethei fab. parte, ubi Prometheus omni turbido motu vacans cum Ione ira flagrante praeclare componitur. Acerba vero et impietatem, ut videtur, arguens Eteoclis severitas et explicanda et excusanda est perturbante illa animum dirarum conscientia. Jam nunc animo ejus obversatur, quod postea disertis verbis eloquitur:

(v. 677) φίλου γὰρ ἐχθρά μοι πατρὸς τέλει' ἀρὰ
ξηροῖς, ἀκλαύστοις ὄμμασι προσιζάνει,
λέγουσα κέρδος πρότερον ὑστέρου μόρου.

Haec si teneas, vides quid sibi velint ista:

(v. 198) πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.
οὔκουν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν· ἀλλ' οὖν θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

---

fabulae, ubi rex, quae animum sollicitum habent, libere prorumpere patitur, chorus, eundem usque locum obtinens, ad consolationem et mitigationem descendit.

Nam quae obscure jam significat, ea v. 684 aperte profitetur:

θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα,
χάρις δ'ἀφ' ἡμῶν ὀλομένων θαυμάζεται.

Tota enim scena, unde hos versus repetii, et si externam fabulae adornationem respexeris, huic nostrae respondet, et interiorem hujus cum virginibus collocutionis rationem optime potest aperire.

Illa autem, quam modo descripsimus, principis indoles clarius elucet ex sequentibus. Nam ubi puellae, in deorum ope solam spem salutis positam esse persuasum habentes, canunt versus 208 sqq.:

ἔστι θεοῖς δ' ἔτ' ἰσχὺς καθυπερτέρα·
πολλάκι δ' ἐν κακοῖσιν τὸν ἀμήχανον
κἀκ χαλεπᾶς δύας ὕπερθ' ὀμμάτων
κρημναμενᾶν νεφελᾶν ὀρθοῖ.

irae ardor jam restinguitur; atque quum quaerit chorus: *τί τάδε νέμεσις στυγεῖ* (217), perculsus quasi improvisa interrogatione Eteocles respondet

οὔτι φθονῶ σοι δαιμόνων τιμᾶν γένος.

Quid, hortatur virgines, ut sacram cantilenam ordiantur. Deinde abit, ut duces eligat. — Sequitur stasimum miseram urbis expugnatae conditionem vividissimis coloribus depingens, quod, quum prae ceteris mulierum captarum sortem ante oculos ponat, praeclarum transitum efficit ad Argivorum ferocia sua insignium descriptionem. Quae quam multifariam, inde ab Euripidis aetate usque ad nostra tempora reprehensionem experta sit, quia notissimum est, non vacat hic recoquere, nec est, cur post ea, quae Welkerus, V.

Cl., de Aeschyleae trilogiae natura et indole docuit, defensoris munus in nos recipiamus. Nam si, quae cum arte in effingendis versante rerum imaginibus intercedat Aeschyl. tragoediarum adornationi necessitudinem reputaveris, de praestantia hujus scenae, quippe quae medium locum occupet non solum unius fabulae, sed totius etiam trilogiae, omnis dubitatio necesse est praecidatur. Eo vero, quod spectatorum animi obscura exspectatione fluctuantes narrationum perpetuitate suspenduntur, fieri non potest, quin Eteoclis ingenium, quale sit, accuratius perpendant; quin animi altitudo ad summum jam evecta fastigium appareat, et, quum de certa animi persuasione victores fore Thebanos iterum ac saepius princeps vaticinetur, mente et cogitatione facilius comprehendatur. (Simili plane modo, ut Promethei constantia iis, quae Ioni ille praenuntiat, ad humanam intelligentiam magis accommodatur). Adde denique vim tragicam, quam exercuerit olim haec fabulae pars in spectatorum animos, quam effundat hodie in mentes legentium. Etenim regem, cujus fortitudinem modo admirabantur, ubi fratris nomen patris exsecrationes in animum ei revocat, repente conspiciunt corruentem, deque omni salute desperantem (cf. Welker trilog. p. 362). Insolenti demum fratris superbia indignatione exardescens, fatique sentiens veritatem, aufugit, ut in certamen ruat infelicissimum. — Chorus vero postquam frustra dehortari eum studuit, sortem ejus praesagiens carmine vim celebrat Furiae, patris precibus excitatae, brevemque Oedipodeae domus historiam intexit. In hoc rerum discrimine, ubi auditores

ad summam adducti sunt exspectationem, omniaque pendent ex verbis nuntii, actio pulcherrime inhibetur carmine lyrico, ut animi non solum retineantur inter spem metumque suspensi, sed illa etiam tranquillitas conciliari possit, quae ad severam rei cogitationem eos componat. Praeterea ad exitum fabulae carmen apte traducit. —

Jam venit nuntius, urbem dicens servitutis jugum effugisse, fratres vero cecidisse mutua caede. Tum chorus, μέλος ἐπιτύμβιον se cantaturum esse profitens, strophâ et antistr. caussas enarrat, cur fratrum certamen tam male fuisset ominatum; ideoque ad Apollinis oraculum, ad Laii inobedientiam, ad diram Oedipi exsecrationem rediens, haec omnia dicit haud fuisse inania, sed ad hanc usque pertinuisse aetatem. Epodo deinde, ubi animi cadaverum adspectu valde commoventur, post editas aliquot de flebili fratrum conditione lamentationes, consilium capiunt choreutae, ut lessum cum planctu conjunctum rite instituant. Itaque in scenam ascendentes, ibique prope fratrum corpora stationes suas occupantes carmen commaticum ordiuntur, quod tantum abest, ut jejunas lamentationes exhibeat, ut omnibus numeris id absolutum dicas. Dolet quidem chorus iniquam sortem principum, attamen nimium gaudii propter periculum a patria modo avulsum dolori erat admixtum, quam ut quaestui et vociferationibus totum se permitteret. Igitur non tam ipsius certaminis imaginem depingere studet, quam, quod est proprium chori munus, ea significat quibus rem aliter cadere non potuisse appareat. Quam ob

caussam, ut in plurimis hujus fab. carminibus, sic in nostro quoque primas agunt Oedipi exsecrationes. Vides quo jure hic cantus nominetur δυςκέλαδος ὕμνος Ἐριννύος (v. 849). (Quod magis sub oculos cadit in sororum lessu, ubi chori partes nullae sunt, nisi quod versus canit, qui bis iterati venerandam Oedipi umbram celebrant Furiarumque summam potestatem). Nec tamen nuda haec fati severitas, fratrumque atrox insania apte potuerunt a choro efferri, nisi propter sorores dilaceratis animis fratrum corpora intuentes, doloris accederet fomentum. Quod vero solatium quomodo pulcrius crudis sororum vulneribus instillari potuit, quam primis versibus quartae strophae et antistrophae? — Qui sequitur lessus a priori illo eodem spatio distat, quo chori dolor a sororum desperatione. Ne commata longiora, ne pulcras desideres sententias; nam doloris magnitudo puellarum animos ita obruit et oppressit, ut nil fere e commoto pectore effundant nisi miseras lamentationes, quae quidem tanta celeritate prorumpunt, ut altera alteram abrumpat. —

Reliqua fab. pars non pertinet ad ipsam hanc tragoediam, quae jam est perfecta et conclusa, sed aditum parat ad sequentia. Nuntiat praeco Eteoclem sepultura honorandum, Polynicis autem cadaver inhumatum extra urbem projiciendum esse. Antigona civitati se non obtemperaturam esse libere profitetur. Chorus in duas se dividens partes, quarum altera Antigonae verba probat, altera laudat edictum senatus, diversus ex scena decedit. Hac chori sororumque dissensione et discrepantia, ab Aeschylo primum, ut videtur, inven-

ta [1]), denuo nodum necti in postrema fabula solvendum facile est intellectu [2]). Quod vero argumentum hujus tragoediae fuerit, de hac re multum disceptatum est. Alii Antigonae facinus eodem fere modo, ut Sophocles fecit, tractatum esse putarunt, alii de Epigonis cogitarunt. Neutrum est probandum. Illud si statuas, aptum trilogiae finem desidero; hoc ne credamus, obstant plura. Ne de temporis intervallo dicam, qui fieri potuit, ut postrema Septem fab. scena traduceret ad Epigonos? Deinde quum cyclicam Thebaidem de Epigonorum bello non egisse certissimum sit, illud quoque poetae studium, quo carminis hujus vestigia premere solet, vehementer repugnat. Quid, ipsa Septem fab. docere videtur Aeschylum Oedipi *ἀράς* non ita persecutum esse, ut usque ad Epigonos eas se devolvisse tertia tragoedia demonstraret. Hoc satis innuunt versus 932 - 39.

— *τελευτᾷ δ'*
αἵδ ἐπηλάλαξαν
Ἀραὶ τὸν ὀξὺν νόμον,
τετραμμένου παντρόπῳ φυγᾷ γένους.
Ἔστακε Ἀτας τρόπαιον ἐν πύλαις,
ἐν αἷς ἐθείνοντο, καὶ δυοῖν
κρατήσας ἔληξε δαίμων. Cf. v. 920 sqq.

Contra si Eleusinios tertiam fabulam fuisse statui-

---

1) In Thebaide jam ante certamen Ismena a Tydeo interfecta est. V. Pherecyd. ap. Schol. ad Eur. Phoen. 53. Cf. Millingen peintures de vases pl. 23; Tischbein IV, 18; Welker l. l. p. 144.

2) Cf. hemichoriorum colloquium in Supplic. f.

mus, omnia optime concinunt. Poetam enim Thebaidem sequentem videmus, et aptum trilogiae finem nanciscimur, et dissensio illa in Septem de Polynicis corpore haud sepeliendo praeclare praeparat eam fabulam, quae jus celebravit communis humanitatis, quo proelio caesos licebat sepelire.

10.

Eleusinii.

De hac Aeschyli fabula, cujus memoriam paene intermortuam dicas, quum praeter ea, quae Plutarchus [1]) tradit, certioris nil compertum habeamus, ad hujus auctoritatem conformanda est ac quasi dirigenda disquisitio.

---

1) Theseus c. 29 *συνέπραξε δὲ* (sc. Theseus) *καὶ Ἀδράστῳ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ πεσόντων, οὐχ, ὡς Εὐριπίδης ἐποίησεν ἐν τραγῳδίᾳ, μάχῃ τῶν Θηβαίων κρατήσας, ἀλλὰ πείσας καὶ σπεισάμενος· οὕτω γὰρ οἱ πλεῖστοι λέγουσι· Φιλόχορος δὲ καὶ σπονδὰς περὶ νεκρῶν ἀναιρέσεως γενέσθαι πρώτας ἐκείνας. Ὅτι δὲ Ἡρακλῆς πρῶτος ἀπέδωκε νεκροὺς τοῖς πολεμίοις, ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους γέγραπται. Ταφαὶ δὲ τῶν μὲν πολλῶν ἐν Ἐλευθεραῖς δεικνῦνται, τῶν δὲ ἡγεμόνων περὶ Ἐλευσῖνα, καὶ τοῦτο Θησέως Ἀδράστῳ χαρισαμένου. Καταμαρτυροῦσι δὲ τῶν Εὐριπίδου Ἱκετίδων οἱ Αἰσχύλου Ἐλυσίνιοι, ἐν οἷς καὶ ταῦτα λέγων ὁ Θησεὺς πεποίηται.*

Argumentum. — Adrastus, ut Argivi proelio caesi a Thebanis redderetur, supplex venit Eleusina, ubi Thesei auxilium imploraret. Qui quum precibus ejus annuisset, una cum sacerdotibus, chori vices agentibus, Thebas profectus est. — Initio igitur tragoediae in scenam prodiit Theseus, atque his fortasse exorsus versibus [1]:

Δήμητερ, ἣ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων,

Creontem persuadendo adducere studuit, ut Argivos occisos sepeliendi Adrasto daret potestatem. Cujus consilii socius et adjutor Thesei precibus suas haud dubie adjunxit chorus sacerdotum. Hac in contentione fieri non potuit, quin ad Polynicis facinus oratio, et ad inobedientiam descenderet Antigonae, quam denuo in scenam progressam esse vix crediderim, nec illud dijudicare ausim, utrum fratris corpus illa humaverit, nec ne. Reputanti tamen rationem, qua voluntatem et consilium suum praecone coram aperte fatetur, hoc quominus exsequeretur prohibita esse videtur. Creon vero propter Polynicem maxime etiam iis, qui impium ejus conamen adjuvissent, sepulturae honorem pertinaciter videtur denegasse [2], ita ut tum demum Theseo et Adrasto obsecundaret, postquam irritum esse jusserat illud de Polynicis corpore non sepe-

---

1) Arist. Ran. 893 c. Schol. Cf. Clausen Aeschyli theolog. p. 93 „videntur Thesei in Eleusiniis."

2) *Τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά.* Sept. 1035.

liendo edictum. Quod si recte disputavi, ex nodo, qui in postrema Septem f. parte nectitur, apte solvendo, totam vides pendere hujus tragoediae explicationem. Ut flecteretur autem Creontis animus, actioque vividior fieret personarum et situationum, quas vocant, varietate, in altera fabulae parte venit Argia [1]), Polynicis uxor, filia Adrasti, quae Creontem precibus permoveret, ut ne vellet tam gravi poena marituṁ afficere. Cui si aliorum ducum uxores addideris, scenam habes, quae mediae illi antecedentis fabulae pulcre respondeat. Hoc autem loco praeclara dabatur occasio suaviloquenti Adrasti jucunditati [2]), ut enarraret, quomodo singuli duces periissent, quomodo Amphiaraus terra esset exceptus [3]), atque his omnibus demonstraret Jovis voluntatem perfectam, deorum iram esse placatam, deferbuisse denique Oedipi exsecrationes. Cujus orationis dulcedine et veritate commotus et persuasus Creon, quae de Polynice jusserat, revocat, Adrastoque, quam diu negaverat, *νεκρῶν ἀναίρεσιν* permittit.

---

1) V. Welker l. l. p. 174.

2) Cf. Eurip. Suppl. v. 858 sqq.

3) De quo ap. Pindar. Nem. VI, 13 ait Adrastus: *Ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς, Ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι.* Amphiaraus, cujus persona totius Thebaidis unitas continebatur, prae ceteris efferebatur. Huic Aeschylus opposuisse videtur Capanea, ferocissimum Jovis contemptorem, qui apud Eur. Suppl. 935 *ἱερός ὡς νεκρός* sepelitur seorsim. Cf. Etym. M. p. 341 v. *Ἐνηλύσια*, de quo loco egit Welker l. l. not. 251.

Et si vera est Welkeri, V. Cl., suspicio, ipsa Proserpina prodiit, omnemque controversiam auctoritate sua diremit. Igitur ut in Orestea *Ἐριννύες* evadunt *Εὐμενίδες*, sic in Eleusiniis dirarum illa auctor deam se praebet benignam et salutiferam. — Finem denique trilogiae imposuisse videtur pompa ad fulgorem taedarum. Inde fortasse repetiti sunt hi versus:

λαμπραῖσιν ἀστραπαῖσι, λαμπάδων στένει [1])
et *ἔφριξ'· ἔρως δὲ τοῦδε μυστικοῦ τέλους*:

quae verba esse videntur Adrasti mirifico inflammati desiderio mysteriorum. Quare Theseus ei concessit Argivorum duces in sacrato sepeliri solo Eleusinio. —

11.

Quae ad mythum, cui trilogiam Aeschylus superstruxit, et ad tractationem ejus spectant, ea hactenus ita sum persecutus disputando, ut et rei gestae magnitudo, actionisque excelsitas appareret, et simplex fabulae implicatio ac *περιπέτεια* Aeschyleo cothurno non videretur esse indigna. In his si passim nobis exciderint ad probabilitatem minus accommodate dicta, meminerint benigni lectores omnem hanc rei perobscurae disquisitionem susceptam a nobis esse non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate. — Jam externam fabulae compositionem ejusque oeconomiam paullo accuratius anquiramus. Hoc eo magis operae pretium est, quum nulla sit Aeschylearum tragoediarum, quae tanta

---

1) Schol. ad Oedip. Col. 1047. Cf. Welker l. l. p. 173.

perspicuitate expressam compositionis quasi effigiem exhibeat, quanta in Septem vim praeclaram formae cognoscere licet facilitate. Fabula enim quum strepitum et tumultum spiret, firmiori quasi pulsu, qui auribus percipi oculisque cerni possit, opus esse dixeris, ut modorum numeri regantur, nec personarum in scena agentium perturbatio ad compositionis perturbationem poetam abripuisse videatur.

Tota tragoedia in quinque partes distribuenda est, quarum si primam, prologum (1—78), et postremam, exodum (996 — 1070), resecueris, quod restat fabulae corpus duobus stasimis [1]) (269—350; 702—773)

---

1) Carmen quod legitur vss. 814 sqq. non est stasimum, sed a partibus chori cantatur. Ut quae antecedunt quattuor system. anapaestica a quattuor ζυγῶν πρωτοστάταις canuntur, sic, quod sequitur stropharum par inter quattuor ζυγὰ distribuendum est (chorus enim ex XII. choreutis compositus est) I. ὦ μέλαινα-κρύος. 2. ἔτευξα-δόρος. 3. ἐξέπραξεν-διήρκεσαν. 4. μέριμνα-λόγος. Reliqua in sex commata dispescenda esse puto:

I. (α') Τάδ' αὐτόδηλα, προῦπτος ἀγγέλου λόγος. —

II. (β' γ' δ') Διπλαῖ μέριμναι, διδυμάνορα κάκ' αὐτοφόνα, δίμοιρα τέλεια τάδε πάθη, τί φῶ;

III. (ε' ς') Τί δ' ἄλλο γ' ἢ πόνοι πόνων δόμων ἐφέστιοι.

IV. (ζ' η' θ') Ἀλλὰ γόων ὦ φίλαι κατ' οὖρον ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν πίτυλον, ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται —

in tria dividitur episodia. Horum unumquodque septenarium exhibet numerum orationum, quas sexies chorus interrumpit. In medio episodio septem habes nuntii, septem Eteoclis orationes, sexies a choro tria strophorum paria decantante interpellatas (357—658), quae, quum medium fabulae locum occupent, reliquis longiores sunt. In primo episodio Eteocles septies loquitur, chorus sexies (165—225). Eodem modo in tertio fab. actu nuntium septies, chorum sexies loquentem vides (776—803) [1]. Quid, in exodo quoque idem numerus redit. Septies enim nuntius loquitur, sexies Antigona [2].

Hae vero orationes ad eandem rationem numeralem, si ita dicere licet, compositae non tantum duobus stasimis discernuntur, sed interpositae sunt etiam minores dialogi partes, quae item responsionem quandam

---

V. (ι') τὰν ἄστονον, μελάγκροκον θεωρίδα (ναύστολον ejiciendum.)

VI. (ια' ιβ') τὰν ἀστιβῆ Ἀπόλλωνι τὰν ἀνάλιαν πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον.

α' β' ζ' ι'
ε' γ' η' ια'
ς' δ' θ' ιβ'.

Postrema enuntiatio (ἀλλὰ γόων-χέρσον) quod inter plures erat divisa, eo liberior ejus et laxa verborum conjunctio, quam vel Wellauerus audaciorem nominat, optime explicatur.

1) Vss. 796 - 801 choro tribuendi sunt, ut factum est in Cod. Viteb.

2) Vs. 1042 ἔρις etc. ejiciendum esse recte censuit Blomfield.

observant. Ita inter longiores illas primi et secundi episodii orationes interjecta sunt Eteoclis novem, decem chori stichomythia (227—245), quibus deinceps longior Eteoclis oratio adjecta est (246—268). Similiter inter secundi et tertii episodii orationes Eteocles novies loquitur, chorus octies (659—701).

In extremis denique fabulae partibus duo leguntur carmina commatica, ita comparata, ut alterum (78—163) initio canatur a singulis, deinde autem per ζυγά, ut mihi videtur, vel, si mavis, per hemichoria; alterum vero, 856—995 ordine inverso, a ζυγῶν cantu incipiat, postea se convertat ad cantum singulorum. —

Quae omnia si unum sub adspectum subjicias, vides ea ad medium fabulae locum efferendum ita respicere, ut ab eo in utramque partem paullatim descendant. Igitur singulae partes cum statuis conferre licet in templi tympano positis, quibus prologum et exodum addere possis tamquam acroteria. — Adornationis ratio quam arcte apud Aeschylum cum arte plastica, ut ita dicam, conjuncta sit, etiam in singulis tragoediarum partibus clare elucet. Ita, ut uno exemplo defungar, in Septem non casu fortuito, sed de industria factum est, ut Hyperbius, qui Jovis habet in clypeo simulacrum, inter duces Thebanos medium locum obtineat. Praeterea illud studium poetae animadvertas per oppositiones vim augendi et effectum. Huc v. c. retulerim Amphiaraum cum Polynice compositum, Tydeum [1]),

---

2) Cf. Hom. Il. V, 801 Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

heroem pusillum, cum Capaneo gigante, Parthenopaeum, juvenem pulcerrimum, cum σχήματι Hippomedontis. Amphiaraus vero, qui Polynice excepto, postremo nominatur, Tydeo, de quo primo nuntius dicit, quam apte opponatur, et per se patet, et ex iis, quae de morte Tydei propter immanitatem immortalitatis munere excidentis in Thebaide narrabantur [1], et in Eleusiniis ab Adrasto procul dubio memorabantur, magis intelligitur.

12.

Priusquam hanc commentationis partem absolvam, quid sentiam de choreutarum in Septem numero, paucis liceat exponere. Siquidem virorum dd. sententias in diversas partes abeuntes perlustraveris, facile credas totam hanc rem in meris conjecturis adeo retrusam esse, ut quod ad persuadendum satis accommodatum sit, non possit reperiri. Sed hoc ne nos impediat, quominus eam, quam supra jam proposuimus, de duodenario choreutarum numero sententiam argumentis et rationibus stabilire experiamur et confirmare. — Qui quindecim choreutas in omnibus Aeschyli fabulis cernere sibi videntur, iis propterea adstipulari nequeo, quod in Septem chorus in duo divisus hemichoria diversus e scena descendit. Nam qui sciam, quam sit Aeschylus symmetriae ubicunque adhibendae studiosissimus, vix et ne vix quidem mihi persuaseris, in alteram partem septem, in alteram octo abiisse choreutas.

---

1) V. Apollodor. III. 6. 7. Cf. Welker l. l. p. 149 sq.

Choregus certe, ut aequalitatem restituas, removendus est; huic vero quid faciendum sit nil video. —

Passovius [1]) suam sejungens a communi opinione sententiam de quattuordecim choreutis cogitandum esse censuit. Cujus judicii subtilitas ut a primo vehementer nobis arridebat, ita, re diligentius pensitata, quominus in eo acquiescendum nobis putemus, plura impediunt. Quamvis enim septenarius numerus in dialogi distributione, ut supra demonstravimus, per totam fabulam regnet, quamvis septem portas, deos, duces habeas, ideoque quattuordecim choreutae — (quippe qui ducibus illis simili modo, ut XII. Titanes in Prometheo soluto XII. diis Olympicis opponantur) [2]) — non uno nomine se commendent; id tamen scrupulum ac dubitationem injicit, quod et talis chori ratio tantum non plane nobis ignota est, et paucis illis grammaticorum testimoniis [3]), eo magis fides deneganda esse videtur, quo facilius ex quindecim personarum choro, praesule universi coetus omisso, novum chori genus effingi potuit [4]). In Euripidis Supplicibus quidem hunc chori numerum Boeckhius probabilem reddidit [5]), ejusque sententiae gravem adjutorem nactus est G. Her-

---

1) Prooem. lecct. univers. Vratislav. 1832.

2) Welker Trilog. p. 39.

3) Vita Aeschyl Robort.; Schol. ad Dionys. Thrac. in Villois. anecd. p. 178; Tzetzes prolegg. in Lycophron. p. 1.

4) Boeckh. de princip. tragg. p. 50; Schneider das attische Theaterwesen p. 118.

5) L. l. p. 75.

mannum [1]), atque Odofr. Müllerus [2]) assensu suo eam comprobavit; ita tamen, ut hunc chorum, a vulgari recedentem, proprium diceret Euripidis. Nil denique in choricis Septem fab. carminibus reperire potui, unde id, quod Passovio placuit, speciem nancisceretur verisimilitudinis.

Haec quum ita sint, si eam, quae sola relicta est, chori rationem amplectar, non vereor, ne quis me sit audaciae invidia oneraturus. Duodenarium enim choreutarum numerum, qui ante Sophoclis aetatem, ut Suidas tradit et vitae auctor, usu erat sancitus, et in Prometheo soluto obtinuisse Welkeri sagacitas reperit, et in Persis et Supplicibus nec non in Agamemnone statuendum esse in Eumenidum editione demonstravit C. O. Müllerus, cujus Viri Celeberrimi acumen etiam Thebani chori vera ratio non potuit latere [3]). Nonne jam eo egregium nostrae sententiae adminiculum suppeditatur, quod XII. choreutae in fabulis locum habent, quarum altera Thebaidis editionem antecedit, altera subsequitur? — At videamus, quibus argumentis ex ipsa fabula repetitis, id, quod ostendere studemus, possimus confirmare.

Vss. 785 — 801 sex loquuntur choreutae; priores quinque versus tribuendi choreutis gregariis, v. 796—801 duci hemichorii [4]). — Vss. 694 — 700 quattuor

---

1) De choro Eumenid. p. 4.

2) Eumenid. p. 78.

3) Ibidem.

4) Vs. 796—801 choro tribuendi, v. Wellaueri annotat.

choreutae (i. e. ζυγῶν πρωτοστάται) singulos trimetros recitant, his respondent quae antecedunt duo strophárum paria cantata, ut videtur, a ζυγοῖς. Tota fabula XII. systemata anaepaestica habet [1]). In carmine vero commatico, quod sub finem fabulae legimus, stropha β' XII. commata exhibet, cantata a singulis; strophae α' et δ' quattuor, strophae γ' [2]) sex commata insunt. Enuntiata strophae α' et δ' a ternis, strophae γ' a binis choreutis cantata esse censeo. Quod si audacius tibi videatur, singulosque omnia cantasse putaveris, nil refragor. Habes enim XXIV. commata. Accedit huc, quod in lessu illo quater et vicies utraque soror canit. De carmine quod exstat vs. 804 sqq. dixi supra.

Restat ut de parodo moneamus. Qua in re sponte nos ducit oratio ad orchestrae [3]) adornationem, de qua quum breviter fuerit decursum, tutius nobis et commodius licebit in carminis distributione acquiescere.

Orchestra ἀγοράν reprasentavit, ut in Agamemnone, vel λαῶν χωρόν, ut in Supplicibus. Talem enim locum, quo populus convenire solebat, in ipsa

---

1) 804—812 = 4 system.; 843—855 = 2; 1045—1076 = 6. Ceterum duo illa systemata v. 1045 — 1057 non a toto choro, sed ab hemichoriis cantata esse puto, Ahrensii conjecturam probans pro ἀλλὰ (v. 1052) scribentis ἄλλα in libello „de causis Aeschyli nondum satis emendati" p. 24.

2) V. 894 cum 895, 96, et 905 cum 906, 7 conjungendi sunt.

3) Vide quae O. Müller de orchestrae ap. Aeschyl. rationibus exposuit in Addend. ad Eum. p. 38 sq.

arce situm esse vetustissimarum urbium institutioni non repugnat. Ibi vel in gradibus thymelae vel prope eam collocati erant βωμοὶ θεῶν ἐγχωρίων [1]), eorumque statuae [2]). Haec septem [3]) deorum πανήγυρις (v. 202) sive σύντέλεια (v. 233) ita adornata erat, ut Jovis statua summum locum teneret, reliquorum ex adverso binae positae essent conjunctim [4]). Quae dispositio probabilis esse videtur et si ad mythologiam spectes, et animum convertas ad ipsum nostrum carmen. Etenim Minerva et Neptunus eodem versu nominantur; inter Veneris et Martis invocationem unus tantum intercedit versiculus; idem in precibus factum vides, quae Apollinis et Dianae favorem expetunt.

Ad haec igitur deorum simulacra virgines confugiunt, σποράδην, quo magis summa perturbatio exprimatur, cursuque praecipitato in mediam irruentes orchestram. Stationes vero choreutarum ita se habebant,

---

1) Vs. 14 cf. θεοὶ πολισσοῦχοι 69, 168, 253; πολῖται 235; ἀγορᾶς ἐπίσκοποι 254.

2) De deorum ἀγάλμασι fortasse idem statuendum est, quod de iis, quae in Supplicibus conspiciebantur, docet C. O. Müller Archaeolog. §. 66.

3) Jovis, Minervae, Neptuni, Martis, Veneris, Apollinis, Dianae. De Junone v. C. O. Müller Addend. ad Eum.

4) Cf. ἀγάλματα ἐπ' αὐτᾶς βαθμίδος Pind. Nem. V, 3; et de geminis aris Olymp. Deorum v. Pind. Ol. V. init. In nostra fabula altarium dispositio haec fuisse videtur:

Juppiter

Venus, Mars — Apollo, Diana — Minerva, Neptunus.

ut in duo se dispescerent hemichoria [1]), quorum alterum prope Jovis aram stabat, alterum prope reliquorum deorum statuas ex adverso positas [2]).

His praemissis, videamus, quomodo carmen adornandum sit. Primam partem non esse antistrophicam, satis, ut puto, certum est, nec ullus, qui antistrophica restituere conatus est, sine magnis id violentisque fecit mutationibus. Sed quamvis Hermannus [3]) doceat, cavendum esse ne nimio antistrophicorum refingendorum studio peccaretur, refingerenturque et in responsionem cogerentur, quae libera essent a responsionis necessitate; tamen non in postrema tantum sed etiam in media hujus carminis parte tam aperta responsionis vestigia reperiuntur, ut nimia sit religiositas, si propter errandi facilitatem a tali conatu abstinendum esse putaveris. —

Age, descriptam ad nostram dispositionem primam carminis partem ante oculos ponamus:

Hemichorium primum.

1) *Θρεῦμαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη*
μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπὼν. —

2) *Ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας,*

---

1) Chorum per totum drama in duas partes divisum esse jam intellexit Haupt (Septem p. 311), quem vide.

2) Has stationes postea Eteoclis jussu (*ἐκτὸς οὗσ' ἀγαλμάτων εὔχου τὰ κρείσσω* v. 247) relinquunt.

3) Elem. D. M. p. 750.

αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος, σαφὴς, ἔτυμος ἄγγελος. —

3) Ἐλέδεμας βοὰ πεδιοπλόκτυπος
τ' ὠτὶ χρίμπεται, ποτᾶται, βρέμει δ'
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ὀροτύπου. —

---

4) Ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ, ἰὼ θεοὶ
θεαί τ' ὀρόμενον κακὸν ἀλεύσατε. —

5) Ὑπὲρ τειχέων ὁ λευκάσπις ὄρ-
νυται λαὸς εὐπρεπὴς, ἐπὶ πόλιν διώκων βοᾶ [1]) —

6) Τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεᾶν; πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπεσῶ βρέτη
δαιμόνων; —

Hemichorium alterum.

7) Ἰὼ μάκαρες εὔεδροι
ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι· τί μέλλομεν ἀγάστο-
νοι; —

8) Ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον; —

9) Πέπλων καὶ στεφέων πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ
λίταν' ἕξομεν; —

10) Κτύπον δέδορκα, πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός. —

11) Τί ῥέξεις, προδώσεις, παλαίχθων Ἄρης τὰν τεὰν
γᾶν; —

---

1) Βοᾶ transposui metri caussa.

12) Ὦ χορυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν,
ἄν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.

Sex choreutae simul prodiisse videntur, quod creticus innuit sexto commati adjectus; ζυγά distinguere licet interjectionibus illis quarti et septimi choreutae, atque eo, quod primus spondaeum, quartus diiambum, septimus iambum dochmiis praemittit. Ut primi hemichorii commata dochmiorum numero (3. 6. 6; 3. 5. 5) se commendant, ita reliqua tribus versibus iambicis, tribusque dochmiacis satis discerni videntur. Duodecimus choreuta quod clausulam quasi trimetro adjicit, id non miraberis. Posteriora cur antecedentibus breviora sint commata, ipsae sententiae, quibus exercitus magis magisque appropinquans, puellarumque, quae a desperatione jam non longe absunt, timor et anxietas depinguntur, luculenter docent. Primi hemichorii sententiae ab alterius commatibus eodem modo differunt, quo sequens stropha prima a stropha secunda. — Has hunc fere in modum restituendas esse puto:

Stropha α'.

Ἴδετ' [1]) ἰὼ θεοὶ πολισσοῦχοι χθονὸς
ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόχον

---

1) Vulgo: θεοὶ πολισσοῦχοι χθονὸς ἴτ' ἴτε πάντες, ἴδετε παρθένων κ. τ. λ Quod ego posui, indigitante feci scholiasta, quem vide; cf. Haupt Septem p. 265. Ceterum locum nondum sanatum esse bene intelligo.

δουλοσύνας ὑπέρ.
Κῦμα δὲ [1]) περὶ πόλιν δοχμολόφων ἀνδρῶν
καχλάζει πνοαῖς Ἄρεος ὀρόμενον.

Ἀλλ' ὦ Ζεῦ πάτερ παντελὲς
πάντως ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν.
Ἀργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου
κυκλοῦνται· φόβος δ' ἀρήων ὅπλων
διὰ δέ τοι γενειάδων ἱππίων [2])
κινύρονται φόνον χαλινοί.

Ἑπτὰ δ' ἀγήνορες πρέποντες στρατοῦ
δορυσόοις σάγαις, πύλαις ἑβδόμαις
προσίστανται πάλῳ λαχόντες. —

Antistropha α'.

Σύ τ' ὦ Διογενὲς φιλόμαχον κράτος
ῥυσίπολις γενοῦ Παλλὰς, ὅ Θ' ἵππιος
ποντομέδων ἄναξ
ἰχθυβόλῳ Ποσειδάων μαχανᾷ [3])
ἐπίλυσιν φόβων ἐπίλυσιν δίδου.

Σύ τ' Ἄρης (φεῦ, φεῦ) [4]) Κάδμου ἐπώνυμον
πόλιν φύλαξον κήδεσαί τ' ἐναργῶς.

---

1) Δὲ posui pro γὰρ metri caussa.
2) Ita Hermannus, nescio ubi, h. versum correxit.
3) Vulgo μηχανᾷ Ποσειδῶν.
4) Interjectiones extra metrum positae.

Καὶ Κύπρις ἅτε γένους προμάτωρ
ἄλευσον· σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος
γεγόναμεν· λιταῖσί σε θεοκλύτοις
ἀπύουσαι πελαζόμεσθα.

Καὶ σὺ Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ
στρατῷ δαΐῳ· σύ τ' ὦ Λητογέ- [1])
νεια κόρα τόξον εὖ πυκάζου [2]).

Stropha *β'* [3]).

Ὄττοβον ἁρμάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω.
ὦ πότνι' Ἥρα
ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.
} Juno *α' β' γ'*

---

1) Locus corruptus. Post verba *στρατῷ δαΐῳ* vulgo leguntur *στόνων ἀϋτᾶς*, quae carent sensu. Nec *σύ τ' ὦ Λητογένεια* profecta mihi videntur e manu poetae. Nil haec puto nisi glossema esse verborum *στόνων ἀϋτᾶς*, in quibus latent *σύ τ' ὦ* et rarior quaedam Minervae significatio. Non est, cur majorem lacunam statuamus cum Lachmanno.

2) Verba *Ἄρτεμι φίλα*, quae post *πυκάζου* leguntur, quam sint ab hoc loco aliena tota invocationnm ratio docet. Haud dubie huc aberrarunt ex sequentibus.

3) Choreutarum stationes [Juno]:

Juppiter

α' β' γ' *θ' ι' ια'*
ς' δ' ε' *ζ' η' ιβ'*

(Venus) Mars — Diana Apollo — Minerva (Neptun.).

Ἄρτεμι φίλα δορυτίνακτος αἰθὴρ ἐπιμαίνεται.	Diana δ' ε'
Τί πόλις ἄμμιν πάσχει, τί γενήσεται; ποῖ δ'ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;	Mars ς'

Antistropha β'.

Ἀκροβόλων δ'ἐπάλξεων λιθὰς ἔρχεται ὦ φίλ' Ἄπολλον.	Apoll. ζ' η'
Κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σανίδων, ἐκ δὲ Διόθεν πολεμόκραντον ἁγνὸν τέλος ἐν μάχᾳ.	Juppiter θ' ι' ια'
Σύ τε μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα πρὸ πόλεως ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιῤῥύου.	Minerva ιβ'

Stropham α' in tres divisi partes, quae a binis hemichorii prope Jovis aram locum habentis canuntur choreutis. Eodem modo canitur antistropha prope reliquas aras. —

Stropham β', ubi novus invocationum ordo iterum a Jovis ara incipit [1]), in totidem commata dispescui.

---

1) Quod satis intelligitur ex verbis ὦ πότνι' Ἥρα. Nec tamen necesse est Junonis statua affuerit; quae si vero affuisset, in prima precatione, opinor, nominanda erat (v. praeterea Haupt Sept. Exc. II. p. 319). Invocatur Juno, nec vero Juppiter, caussa, quem dicunt, parallelismi. Accedit, quod hujus deae invocatio,

Horum tertium Martis arae assignavi, quamvis disertis verbis non nominati; ille tamen est, qui ἔργον ἐν κύβοις κρίνει (vs. 451). Accedit, quod sic demum ad omnia altaria canitur. Ceterum animadvertas deo deam, deae deum in antistr. respondere. Venus autem et Neptunus quod non invocantur, eo sententia nostra de statuis conjunctim positis quodammodo confirmatur. Singuli enim dii singulas aras si habuissent, ita ut ex XIV. choreutis bini obsedissent unam, pars chori os tacitum praebere debebat; quod jure addubitaveris. — Jam vero quum ad Apollinis et Jovis altaria quattuor, ad Martis autem et Minervae duo tantum commata pertinerent, in mentem venit, stationes choreut. ita mutatas esse, ut ad Apollinis et Dianae aram starent quattuor, ad Martis autem et Minervae singuli choreutae (v. not. 3. p. 71). Quod si recte posui, decem illi chori trimetri vs. 227 — 245 aptam distributionem admittunt, Primi sex ab hemichorio canuntur Jovis aram adstante, — (etiam hic hemichorium bipartitum esse licet intelligere; nam terni choreutae eandem sententiam efferunt; quid, vel interjectio illa (vs. 233) hanc divisionem arguit) — quattuor qui supersunt trimetri ab iis recitantur, qui prope Apollinis altare et Dianae locum habent.

---

audito fragore mulieribus repente corruentibus optime convenit.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 053 137 1